103

34-4-I-8-

4
104

CLEMENS. PP. VIII.

STIPATE ME MALIS: QVIA AMORE LANGVEO.



CANTICORVM. 2.

FVLCITE ME FLORIBVS:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

1 AD PERPETVAM REI MEMO-
riam. Sacrum Ordinem ſub inuocatione glo-
2 rioſiſsimæ Virginis Dei genitricis Mariæ
de Monte Carmelo, quē eadem virgo venu-
ſtiſsima, ex omnium virtutum floribus ędi-
dit, proprijq; nominis titulo inſigniuit, à
pluribus Rom. Pōt. prædeceſſoribus noſtris approbatū, varijs-
que priuilegijs, & facultatibus iam pridē decoratū: ex quo Or-

4

dine ſacro in agro Dñi vberes fructus emanarunt,& nō medio
cres producūtur,& in dies maiores ſperamus, præcipuè à dile-
ctis filijs Diſcalciatis nūcupatis: qui,tā Fratres, quàm Monia-
les, inter cæteros Regularū Ordinū profeſſores in catholica
Eccleſia militantes,tanquam Religionis exemplar ſpeciali cla-
ritate fulgentes, ſanctorumque Prophetarum Eliæ, Eliſei,
Enoch,nec non etiam aliorum ſanctorum Patrum, qui Montē
ſanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem inhabitarunt, ſucceſ-
ſionem hæreditariam tenent, gratijs, & fauoribus ſpecialibus
complectendos eſſe cenſemus. Ad ſtatum vero Religioſorum
oculi noſtri aciem potiſsimum conuertimus,atque ea,quæ pro
eorum,tam ſpirituali,quam temporali gubernio prouide ſtatu
ta eſſe comperimus,vt firmiter,& perpetuò obſeruētur Apo-
ſtolici muniminis firmitate roboramus. Cum itaque (ſicut
chariſsimus inChriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarū Rex
Catholicus exponi nobis nuper fecit) dilectus filius Vica-
rius Generalis Congregationis Diſcalceatorum, cum interuē-
tu Diffinitorij in eorum Capitulis Generalibus (authoritate
Apoſtolica aliàs conceſſa) ſtatuta, Conſtitutiones, & regulas
ad ædificationem,& regimen,tam Fratrum, quàm Monialium
dictæ Congregationis ediderint, illaſq; nobis propoſitas au-
thoritate Apoſtolica confirmari petierint. Nos,qui huius Con-
3 gregationis fœlicibus principijs vehementer in Domino gau-
dentes,fœliciores in dies progreſſus in ea fieri maximè cupi-
mus, quiq; præfatas conſtitutiones per venerabilem F. N.
Michaelem Epiſcopum Albanenſem, Cardinalem Alexandri-
num nuncupatum, ſuper conſultationibus Regularium depu-
tatum examinatas,& emmendatas fuiſſe accepimus:eaſdē Cō-
ſtitutiones ſic examinatas,(quippe optimas,& ſalutares) perpe
tuo obſeruandas eſſe cenſentes, ſupplicationibus quoq; di-
cti Philippi Regis in hac parte inclinati,eaſdem regulas,& cō-
ſtitutiones(vt præfatur)examinatas, correctas, & auctas præ-
ſentibus inferius adnotatas,ac non nullis capitibus compræhē
ſas,priuilegia quoq; , indulta, gratias,& facultates, tam Fra-
tribus,quàm Monialibus eiuſdem Congregationis per diuer-
ſos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, (quorum om
nium tenores præſentibus pro expræſsis habere volumus,ac
ſi de verbo ad verbum inſererentur)authoritate Apoſtolica te-

nore

nore præſentium perpetuò confirmamus,& approbamus, &(ſi opus ſit)renouamus,& validamus,illiſque perpetuæ,& inuiolabilis firmitatis robur adijcimus,atque vt Fratribus , & Monialibus ipſis,alijſque omnibus,quos concernunt,firmiter , & inuiolate perpetuo,obſeruentur, ſub pœnis in eis contentis ſtatuimus,& mandamus,ſupplentes omnes,& quoſcunque tã iuris, quam facti,ac etiã ſolemnitatum forſan requiſitarum defe-
4 ctus(ſi qui in pręmiſsis quomodolibet interuenerunt.) Nec cuiq; conſtitutiones huiuſmodi alterare, mutare , moderari interpretari,aut innouare,aut quouis pacto(etiam ad euidentiſsimam vtilitatem)alias conſtitutiones,vel regulas contrarias, vel
5 contra has in parte,ſeu in toto ędere liceat. Quod ſi varia temporum,& rerũ mutatione in aliquo caſu graui, & raro, aliquas alias conſtitutiones de nouo facere contingat, vt aliqua quoad mores tãtũ ex his noſtris cõfirmatis, & approbatis diſpẽſatione indigeat,hoc fiat in Capitulo generali eiuſdẽ Cõgregationis de omnium conſenſu,ſeu maioris,& ſanioris partis per ſecreta ſuffragia,ita vt ex quatuor partibus eorum , qui habebunt votum,concurrant in vnum tres partes. Irritumq; & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam,quauis authoritate ſcienter l. ignoranter contigerit attentari , decernimus. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus,& ordinationibus,Apoſtolicis etiã Fratrum,& Monialium dicti ordinis,cæteriſque contrarijs qui-
6 buſcunq;. Volumus autem , vt præſentes literæ cum inſertis conſtitutionibus prædictis imprimi poſsint, ijſque impræſsis, vel aliàs tranſumptis,etiam manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur,quę ipſis præſentibus
7 adhiberetur,ſi originaliter exhiberentur. Tenor autem conſtitutionum præfatarum eſt qui ſequitur:videlicet.

HAE SVNT CONSTITVTIONES CONGREGAtionis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum authoritate Apoſtolica in ſuis Capitulis Generalibus factæ, iuxtà reductionem vltimi Capituli Generalis, celebrati Madriti, die ſanctiſsimo Penthecoſtes, dicima die Iunij. M. D. XC.

De officio diuino, & cantu. §. 1.

1 STATVIMVS QVOD AV-
dito primo ſigno, horis quibuſcunque
2 diurnis, aut nocturnis, Fratres ſe præ-
parent, & ante terminationem finalis
pulſationis omnes ad capitulum, vel
ad locum deputatum celeriter conue-
niant, & inde ad Eccleſiam religioſè
accedant, & ibi pro poſſe humiliter, &
deuote diuinum officium compleant,
ſecundum vſum Eccleſiæ Romanæ: Et horæ Matutinæ ſem-
per dicantur media nocte indiſpenſabiliter, niſi aliqua vrgens
3 neceſsitas oppoſitum pòſtulet, ſed hoc quã rariſsimè fiat. Sta-
tuimus autem, quod qui competẽti feſtinatione ad Matutinas,
& aliàs horas, etiam ad cætera, quæ in choro recitanda, vel le-
genda fuerint, ſimiliter, & ad refectorium, capitulum, ſermo-
nem, vel lectionem ſcholaſticam, ſeu ad alia quęcunq; pulſa-
tione vocatus non venerit, pœna leuis culpæ pro primo de-
fectu puniatur, & ſi in conſuetudinẽ duxerit, vna die, vel plu
4 ribus, pœna grauis culpæ ei applicetur: ſi vero in contemptum
duxerit, pœnæ inobedientiæ ſubijciatur. Neque aliquis fra-
trum

trum chorum exire præſumat, ante terminationem officij, niſi
de expræſſa licentia Præſidentis, cauſa quacunque rationabili
5 perurgente: ſub pœna grauis culpæ per tres dies. Item qui in
officio ſibi per tabulam aſsignato in choro, Refectorio, aut a-
liàs negligens repertus fuerit, in Capitulo vnam recipiat diſci
plinam, aſſuetis tamen aggrauetur pœna: Si autem fuerit aliquis
infra ſepta loci occupatus, aliquē fratrem, qui eius vicem ſup-
pleat, humili ſupplicatione ſtudeat inuenire ſub pœna grauis
6 culpæ per decem dies. Nullus frater in choro cantare præſu-
mat, præter id quod communis vſus Cōgregationis approbat,
& eligit, videlicet ſine modulatione, & harmonia cantus, ſed
ſubmiſſa voce cum pauſa tamen maiori, vel minori, ſecūdum
diuerſitatem feſtiuitatum: & in officio diuino obſeruētur om-
7 nia, quæ in ordinali ponuntur ſub pœna grauis culpæ per tres
dies. Quicunque frater, qui poſtquam profeſsionem emiſerit,
diuinum officium, aut horas Canonicas dicere neglexerit, &
de hoc conuictus, aut confeſſus, vel violenter ſuſpectus fuerit,
carceri mancipetur, neque poſsit cum tali diſpēſari niſi per Dif
8 finitorium. Fratres vero laici dicant horas, ſicut in regula habe
tur, hoc addito quod in Completorio dicant vicibus quindec-
cim Pater noſter, & (legitimis actibus non impediti) Miſſā om-
ni die audiant, & feſtiuis diebus niſi legitime occupati, inter-
ſint Miſſæ maiori, & Prælatus prouideat, vt omnino diebus fe-
ſtiuis Miſſam audiant, & veſpertinis horis cum omni deuotio-
ne interſint, ſub pœna grauioris culpæ per duos dies.

De oratione mentali, & examine conſcientiæ. §. 2.

1 QVia ſicut corporalis cibus conſeruat vitam corporis, ita
oratio, quæ eſt cibus animæ, conſeruat vitam ſpiritus:
magna habenda eſt orationis ratio. Quare volumus, &
ordinamus, vt omni tempore quotidie ante Primam habeatur
ab omnibus oratio mentalis per vnam horam, & ante Comple
torium hora quinta per vnam horam ſimiliter. Erit autem ora-
tio hæc in choro, vbi conuenientibus omnibus fratribus præ-
miſſa Antiphona. Veni ſancte Spiritus, & oratione Deus, qui
corda

corda fidelium,recitabitur aliqua lectio deuota, quæ poſsit eſ-
ſe materia meditationis, qua finita omnes in ſilentio orabunt,
2 & tranſacta hora dicant omnes, Sub tuum præſidium, & Præ-
ſes dicat orationem. Protege Domine populum tuũ, & ſic fi-
niatur oratio. Præterea tribus diebus hæbdomadæ, videlicet fe
ria ſecunda, quarta, & ſexta, accipiant fratres diſciplinam cõ-
munem,quæ durabit quandiu dicatur Pſalmus Miſere mei, cũ
Antiphona Chriſtus factus eſt,&c. & tribus orationibus Reſ-
pice,& alia Protege, & alia Quæſumus ſecundum Ordinarium
3 Congregationis. Adhuc, etiã quotidie cum pulſatum fuerit ad
prandium,conueniant omnes fratres in choro,& ibi genib⁹ fle-
xis faciant examen ſuę conſcientiæ per aliquod breue tempus,
ſicut viſum fuerit Prędidenti: quod cum ſit completum,faciat
ſignum,& ſic ſurgant omnes fratres,& vadant ad Refectorium
dicendo, De profundis. Qui autem non potuerit ire ad chorũ,
examen conſcientiæ vbicunque fuerit,omnino faciet.

De Silentio, & loquutione fratrum. §. 3.

1 CVm ſecundum Regulam fratres ad obſeruantiam ſilẽtij
poſt Completorium, vſque ad Primam dictam aſtringã-
tur: Statuimus, vt Completorium omni tempore poſt
cœnam,ſeu collationem dicatur,& dicto Completorio incon-
2 tinẽti tendãt ad cellas ſuas ſub pœna grauioris culpæ. Itẽ ſtatui
mus, quod fratres noſtri ſilentium teneant in Choro, Refecto-
rio, Dormitorio, Clauſtro,& in cellis, præterquã in cella Prio
ris,ſeu Vicarij, in qua breuiter tractabunt res neceſſarias, ſub
3 pœna grauis culpæ. Caueant etiã fratres à vaniloquio præci-
pue in Eccleſia,vel prope eam,qui vero in hoc depræhẽſus fue
rit,pœnam mediæ culpæ ſuſtineat: & ſi in cõſuetudinem du-
4 xerit,pœna grauis culpæ adſtringatur. Statuimus etiam,quod
ſiquis ſine recta ratione,& ordine quocunque modo iurauerit,
pœna grauioris culpæ puniatur. Item præcipimus cum Apo-
ſtolo,quod quilibet frater alteri loquatur cum honore,& reue
rentia: ſi quis autem alteri conuitioſe, aut irreuerenter loquu-
tus fuerit,pœnę grauis culpæ,ipſum volumus ſubiacere per de-
6 cem dies. Item ſtatuimus, quod fratres cum mulieribus extra

ſepta

7 ſepta loci, & in domibus ſœculariũ loquturi ſic ſe habeant, ꝙ
vnus frater ab alio videatur, & Priores cautè ſe habeāt in aſsi-
gnandis ſocijs. Extra ſepta loci nullus frater tempore comeſ-
tionis,aut in tempore quietis poſt meridiem cum mulieribus
loquatur, excepto tempore, quo Ianitor, vel alius à Priore
ordinatus tali hora mulieribꝰ,& alijs venientibus breuiter po-
terit reſpondere ſub pœna grauis culpæ,tam facientibus, quā
permittentibus,pro qualibet vice infligenda per decem dies.

De Confeſsionibus, & Prædicationis munere. § 4.

1 COnfeſsio Nouitiorum ſtatim poſt eorum receptionē au-
diatur,& tam illi de modo confeſsionis, quam de cæte-
2 ris diligenter in omnibus inſtruātur. Prior autē pro No-
uitijs conſtituat Magiſtrum ipſorum, qui eorum confeſ-
ſiones frequenter audiat: pro laicis alium de ſenioribus Do-
mus, qui ſimiliter eorum confeſsiones audiat. Pro Iunioribus
3 profeſsis non ſacerdotibus conſtituat Suppriorem, qui eorum
confeſsiones audiat; pro reliquis autem,tres,aut quatuor, aut
plures(ſecundum exigentiam Domus,)de Senioribus, & Pru-
4 dentioribus conſtituat. Poterit autem Prior localis cũ ſibi vi-
debitur expedire licentiam dare fratribꝰ Profeſsis,putà in die-
bus præcipuarum ſolemnitatum,quando fit communio Con-
uentualis,(ſi videbitur)vt confiteantur alicui fratrum Domus,
cui voluerint, dũ tamē ſit de expoſitis à Reuerēdo Patre Pro-
uinciali: Nouitijs autem non concedatur,niſi tantum vnus,aut
alter Seniorum Patrum, & grauiorum. Inhibemus autem di-
5 ſtrictè ne aliquis frater alicui extraneo (ſiue ſit Religioſus Sa-
cerdos,ſiue ſœcularis)confiteatur,ſi copiā Sacerdotis noſtri Or
6 dinis habere potuerit ſub pœna grauis culpæ per decem dies
infligenda. Nulli etiam fratrum liceat ſine licentia Diffinito-
rij, vel Prouincialis, & ſine præſentatione facta coram Domi-
7 nis Diæceſanis Prælatis confeſsiones audire extraneorum. Pro
uincialis autem nemini det licentiam confeſsiones audiendi,ni-
ſi in ſcriptis,& præcedenti diligēti examine, & oneramus eius
conſcientiam ne huiuſmodi facultatem alicui tribuat, niſi quē

iudicauerit idoneum in ſcientia, & moribus ad huiuſmodi mu-
nus, ſaltem per examen trium Patrum per Capitulum Conuẽ-
tuale electorum talem iudicatum, quod idem dicimus de mu-
8 nere prædicationis verbi diuini. Sed nec aliquid exequi li-
ceat, quod pertineat ad ordinarios Parochos Eccleſiarum, (vt
puta Sacramenta Euchariſtiæ, Matrimonij, Extremæ Vnctio-
nis miniſtrare) ſine Prælatorum, vel Curatorum licẽtia, & tũc,
ſi talibus fratribus licentia huiuſmodi, (vt dictum eſt) tribua-
tur, videatur, quod diligenter ſint examinati, & quod ſufficiẽ-
9 ter idonei ſint inuenti. Et nullus Conuentus, aut frater Con-
gregationis beneficium cum cura animarum poſsit ſuſcipere
ſub pœna grauioris culpæ per decem dies, & priuationis vo-
cis actiuæ, & paſsiuæ per annum: & nihilominus beneficium
tale non intelligatur acceptatum, neq; receptum, niſi hoc po-
10 ſtea fiat de licẽtia Diffinitorij Vicarij Generalis. Curent Præ-
lati, quod in ſingulis Conuentibus pro diebus feſtiuis habea-
11 tur ſermo ad ædificationem, & doctrinã Populi. Item Profeſ-
ſi (qui non ſunt ſacerdotes) habeant Magiſtrum, ſub cuius po-
teſtate ſint in Dormitorio clauſo, donec promoueantur ad Sa-
cerdotium: cui obedient ſub pœna grauis culpæ per tres dies
12 toties quoties: Quod ſi aſſueſiat, aggrauetur pœna iuxta Con-
ſtitutiones. Item Vicarius Generalis, vel Diffinitorium, nec
alter quilibet Superior non poſsit concedere licẽtiam, ſeu gra-
tiam alicui fratri, quod non interſit communiter horis in cho-
ro, nocturnis, vel diurnis (exceptis duntaxat fratribus prædi-
caturis, quibus per tres dies antea licebit concedere abſentiam
à choro.) Et cum eo, qui magnum laborem die proximo fece-
rit, vel fuerit infirmus, Superioris diſcretioni, & cõſcientiæ re-
mittimus, quid agere oporteat. Non detur licentia ad prædi-
13 candum alicui Religioſo, qui non fuerit in artibus verſatus, &
per tres annos ſacram Theologiam audierit, aut ſaltẽ per duos,
vel ſit in Decretis Licẽtiatus, alias maneat ſuſpenſus ab hoc mu
nere prædicationis, & puniatur pœna graui octo dierũ Prouin-
14 cialis, qui huiuſmodi licenriam conceſſerit. Monemus etiam
omnes Prçlatos quòd per ſe ipſos frequentent cõfeſsiones ſuo-
rum Religioſorum, eoſdemq; Religioſos, vt ad illos pro con-
feſsionibus accedant, vt augeatur charitas inter eos, tanquam
inter Parentes, & filios.

De Communione Fratrum.

§. 5.

1 VNiuerſi fratres noſtri, tam Nouitij, quam Profeſsi, non Sacerdotes, omnibus diebus Dominicis communicet: ſimiliter etiam omnibus diebus feſtiuis Paſchalibus, & Feſtis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apoſtolorum, An-
2 gelorum, Omnium ſanctorum, Ordinis Patroni, aut Titularis Eccleſiæ, & huiuſmodi: & tunc ſi ſe communicandi dies inculcent nimis, prætermittatur communio in aliqua Dominica, & omnes (etiam Sacerdotes) communicent die cœnæ Domini de manu Prioris: ordinantes, & volentes, vt fratres omnes ſupradicti (tam laici, quam Clerici) temporibus ſtatutis in maiori Miſſa communicent ſecundum formam præſtitam in Ordi-
3 nario, & his diebus (propter reuerentiam) non habeant recreationem meridianam ſolitam. Caueant autem fratres Sacerdotes, abſtineant à celebratione quotidiana, niſi pro infirmitate, aut alia vrgenti neceſsitate, & de licentia Prioris.

De Ieiunio & comeſtione fratrum.

Cap. 2.

1 STatuimus, quod fratres noſtri ieiunent à die Exaltationis ſanctæ Crucis, vſque ad diem Dominicã Reſurrectionis, & omnibus diebus inſtitutis ab Eccleſia, etiam in vigilia Corporis Chriſti, & in omni vigilia Beatæ M. Virg. & omniũ Apoſtolorum, præterquam Ioannis Euangeliſtæ, Philippi, & Iacobi: & poterunt Priores de eſu lacticiniorum, vel abſtinẽtia, ſecundum varias locorum conſuetudines ordinare. Ieiunent ſimiliter in Litania maiori, ſcilicet in die ſancti Marci, (ſi nõ in Dominica venerit, quia tunc nihil fit in illo anno de tali ieiunio) ſimiliter tribus diebus Rogationum, videlicet feria Secunda, Tertia, & Quarta, ante Aſcenſionem Domini; nec non ferijs Sextis per totũ annum, excepta illa quæ eſt in hebdomada Paſchæ; cuius ieiunium arbitrio fratrum relinquimus: illo

tamen die Nonā ante prandium dicatur. Hora prandij à feſto
2 Exaltationis ſanctæ Crucis vſq; ad Paſcha Reſurrectionis erit
vndecima ante meridiē, à Paſchate vero vſq; ad feſtum Exalta-
3 tionis, ſanctæ Crucis erit hora decima. In ieiunijs autem Ec-
cleſiæ expectanda erit hora vndecima cum dimidia. Cœna au-
tem, ſiue collatio ſit hora Sexta, & poſtea per aliquod tēpus,
parum ſumatur recreationis, & poſtea dicatur Completoriū, &
poſt Completorium immediatè ſeruetur ſilentium vſq; ad Pri-
4 mam dictam ſequentis diei, & vadant in cellas ſuas. Collatio
autē in ieiunijs Eccleſiæ fiat ſine pane ex aliquo pomo, aut a-
lio huiuſmodi: In alijs autem ieiunijs Ordinis fruſtrum panis
addatur. Prohibemus autem ne aliqua pictantia in Conuentu
comedatur, (præter communem) ſine diſpenſatione Prioris
5 Conuentus ſub pœna grauioris culpæ per duos dies. Itē fra-
tres in ſecunda menſa comedentes, non alijs alimentis, quā in
prima veſcantur, ſub pœna grauioris culpæ hoc permittenti &
6 facienti per duos dies infligenda. Nemo autē extra communē
menſam comedat, aut bibat, ſine licentia Superioris ſub eadem
pœna. Mandamus autem omnibus Prioribus, & Vicarijs Cō-
uentuum Ordinis, ne extrà Refectorium, vel infirmitorium, ſi-
ue Aulam communem ad hoc deputatam, permittant comede-
rè fratres ſuos, neq; ipſi comedant, niſi infirmitatis cauſa, vel
alterius neceſsitatis euidentis, & contrarium facientes pœna
7 grauioris culpæ puniantur. Item ſtatuimus, quod nullus fra-
ter veniat ad fratres ſecunda menſa, vel ad alios extra Refe-
ctorium comedentes, exceptis ſeruitoribus deputatis per Præ
8 ſidentem, ſub pœna grauis culpæ per vnum diem. Vt æqua-
litas (quæ humilitatem, & modum viuendi noſtrum comita-
tur) ſeruetur in omnibus: Præcipimus, & ordinamus, vt neq;
Prouinciali, neq; Priori locali, neq; cuiuis alij ex fratribus no-
ſtris in Refectorio aliqua pictantia, aut quodcūq; aliud detur,
9 niſi ea, quæ communiter omnibus apponuntur. Quod ſi pro-
pter infirmitatem, vel debilitatē alicui in particulari aliud de-
beat miniſtrari, hoc fiat ex licentia Superioris, & nō aliter ſub
pœna grauioris culpæ per duos dies, tam facienti, quam per-
10 mittenti. Item prohibemus, ne fratres noſtri in ciuitatibus,
& in villis, in quibus locum habemus, comedant, vel bibant, ni-
ſi pro ineuitabili neceſsitate præterquā apud Religioſos, Prin-

cipes, Prælatos, Patronos, & Magnates ſub pœna grauioris
11 culpæ per duos dies infligenda. In Refectorio autem Cõmu-
nitatis nulla cauſa neq; ſanis, neq; infirmis adminiſtrentur car-
nis, neq; ſint in Refectorijs noſtris Mappæ, (quæ vulgo dicũ-
tur mãteles) neq; vtãtur fratres vaſibus curioſis, & delicatis, ſed
12 groſsioribus, vt omnia redoleant humilitatem. Miniſtrentur
autem omnibus, tam Priori, quam alijs, ęquales pictantię, ſeu
portiones, neq; in hac parte fiat inęqualitas aliqua ſub eadem
pœna grauis culpę: ſed ſeruetur Regula, vt omnibus diſtribuã-
tur neceſſaria inſpectis ętatibus, & neceſsitatibus ſingulorum.
13 Item ſub pœna priuationis ab officio, & vocis actiuæ, & paſsi-
uæ, per vnum annum nullus frater comedat, aut bibat in Dor-
mitorio cum ſæcularibus, aut in quibuſcunq; alijs cameris vbi
14 fratres iacent. Tempore autem, quo diuina celebrantur in
Eccleſia, nullus intra Conuentum cum ſæcularibus comedat,
vel eos in talibus aſſociet, niſi fuerint tales perſonæ, cum quib9
ſine Ordinis, vel Conuentus diſpendio notabili, aut perſonarũ
graui timenda indignatione, hæc obſeruari nõ poſsint, ſemper
tamen à Preſidente licentia obtineatur.

De Recreatione Fratrum.

§. 2.

1 EXperientia didicimus fratres indigere aliqua laborum in-
termiſsione. Quare ordinamus, vt poſt prandium, cœnã,
aut collationem, cum fuerint ante Completorium conue-
niant omnes fratres in aliquem locum, vbi ſimul ſint ſine ſæcu-
laribus per vnam horam. Et non poſsint ſinguli ſeorſum loqui
ad inuicem: Sed omnes ſint attenti ad id, quod in cõmuni pro-
2 ponitur. Oportet autem confabulationes Religioſorum ho-
neſtas eſſe, & ſpirituales, & qui in hac parte culpabilis fuerit
inuentus, puniatur pœna panis, & aquæ irremiſsibiliter, & ſi
3 fuerit Prior, aut Præſidens grauius puniatur. In Aduentu autẽ,
& Quadrageſima non ſit nocturna recreatio propter neceſsita-
4 tem ſtudendi, præter quam in Dominicis. Nouitij vero ſepa-
ratam habeant recreationem cum ſuo Magiſtro, niſi aliter ali-
5 quando ordinauerit Prælatus. Conuentus tamen, aut maior
pars

5 pars illius nunq; poſsit ſimul ire ad campum pro recrea-
tione.

De Fratribus infirmis, de vita cõmuni, & æquali ab omnibus obſeruanda. *Cap.* 3.

1 STatuimus, quod cum fratres in cæperint infirmari, ſtatim
confiteantur Priori, vel (de licentia eius petita, & obtenta)
alicui fratri idoneo, & ſimiliter communicentur, ita vt in
Eccleſiam pergat infirmus pro accipienda communione; tamẽ
hora honeſtiori ad hoc ſeruata, & magis reuerenti ante quã ci-
2 bum capiant. Nam per modum viatici non detur Euchariſtia
niſi vrgenti infirmitate. Et (his peractis) ſuper omnia diligens
cura ipſorum infirmorum de cætero habeatur, ſecundum indi-
gentiam infirmitatis, & omnino eis prouideatur ſecundum cõ-
3 ſilium Medicorum, (de quibus Prior ſtatim habeat prouidere)
& aliquis deuotus frater, & amicabilis, non aliunde occupatus
eis ſpecialiter aſsignetur, qui ſciat, & poſsit, & debeat compe-
tenter, & amicabiliter miniſtrare ſub pœna grauis culpæ per
4 decem dies tranſgreſſoribus infligenda. Cum autẽ horas Ca-
nonicas grauati morbo non poterunt, dicere, tunc (ſi ſuſtinere
5 poſſunt) dicantur coram eis ab aliquo. Item præcipimus, &
mandamus, vt infirmis fratribus prouideatur de neceſſarijs in
infirmitatibus de licentia Prioris per Procuratorem, vel per a-
lium deputatum (prout opus erit) inſpectis ętatibus, & neceſ-
ſitatibus, infirmitatibus, & conditionibus ſingulorum (prout
dicitur in regula:) ita tamen, quod nulla appareat, neq; ſit in-
æqualitas maiorum, aut minorũ, ſed omnibus charitatiuè, etiã
minimis prouideatur de neceſſarijs: neq; maioribus, (Si eorum
non ſit maior neceſsitas) amplius tribuatur, quã minoribus ſub
6 pœna depoſitionis ab officijs. Itẽ ordinamus quod Patri Re-
uerendiſsimo totius Ordinis, Vicario Generali, & Prioribus
Prouincialibus, & Procuratori Congregationis, Viſitatoribus,
& eorum ſocijs in ſuis infirmitatibus prouideatur de expenſis
á communitate Conuentus, vbi infirmari cõtigerit, quod ſi lõ-
gam moram traxerint in infirmitate, & Conuentus non pote-
rit eis ſubuenire, prouideatur de alijs Conuentibus, ſecundum
diſpoſi-

diſpoſitionem dictorum Vicarij Generalis, vel Prouincialis: quod fiat cum omni diligentia, & reuerētia, vt filios obedientiæ
7 decet erga totius Ordinis Patres: Et (vt maior diligētia circa infirmos adhibeatur,) mādamus, quod ſi aliquis frater infirm⁹ aliquod periculū notabile incurrerit per improuidētiā, & duritiē, Prioris, aut Procuratoris, aut neglıgētiā Miniſtri, ſi Prior fuerit in culpa, aut ſi Procurator, vel Miniſtri fuerint in culpa grauiter
8 puniantur arbitrio Vicarij Generalis, & Diffinitorū. Item inhibemus, ne fratres in domibus ſœcularium infirmi commorētur. In Conuentibus autem, vbi frater aliquis vndecunq; ſit incæperit infirmari, ibi moram faciet, donec conualeſcat: niſi de licentia Vicarij Generalis, vel Prouincialis de eo (ex cauſa rationabili) aliter ordinetur, atq; prouideatur, ſub pœna grauioris
9 ris culpæ per tres dies. Item ordinamus, quod in quolibet Conuentu Ordinis (vbi fieri poterit competenter) conſtruatur infirmitorium, etiam cum capella, in quo infirmitorio iaceant fratres nimium debiles infirmi, & ibi maneant, etiam ſingulis diebus audiant diuinorum officiorū, & ſpecialiter Miſſarum aliqua ſolemnia celebrare, niſi infirmitas, aut debilitas ob-
10 ſtiterit. Item præcipimus quibuslibet Prioribus localibus ſub pœna depoſitionis ab eorū officijs, vt in ſuis Cōuentibus ſacrū corpus Dominicum in maiori Altari Eccleſiæ, vel circa, in loco decentiſsimo, & honeſto (pro fratribus, & familiaribus in caſu neceſsitatis communicandis) cum omni reuerētia ſemper ſolicitê reſeruetur, & ſæpiſsimè renouetur, & potiſsimè cō-
11 munionis tempore, quo fratres habent communicare. Oleum etiam ſanctum (pro infirmis vngendis, quando morti appropinquant) quolibet anno innouetur, & in vaſi, & in loco decēti, & ſundo, ac ſub firma cuſtodia, in Eccleſia, vel Sacriſtia, loco honeſto, reſeruetur.

De Vita communi, & æquali.

§. 2.

1 COmmunis vita inter nos (vt omnibus ſit manifeſta) eſt quando quilibet ex noſtris vtriuſq; ſexus Religioſis ex communibus Conuentus officinis ſibi, ac ſuis neceſsitatibus

tibus prouidet, tâm reſpectu habitus, & veſtitus, quàm circa lectulos, libros, & alia omnia neceſſaria, tâm in itinere, quàm in Monaſterio, ſeu Collegio, tempore ſalutis, & ægritudinis, ſeu alio quouis modo, quorum ſingula arbitrio Prioris mutari, aut auferri poſſunt, & quando aliquid non erit neceſſariũ, reponetur in officina communi Conuentus. Extrà quem nihil poterit educi, præter ea, quibus opus habeant pro itinere, vel negotio, ad quod mittũtur, & aliter nullatenus alicui permittatur, quod aliquid habeat, nec eo vtatur, aut gaudeat (etiã ad vſum, vel quouis quæſito colore) ſub pœna grauioris culpæ
2 per tres dies. Hæc vero communis vita obſeruetur ab omnib9, tam Vicario generali, & Prælatis quibuſcunq;, quàm ſubditis, præſentibus, & futuris, fratribus, & Monialibus, tàm in capite, quàm in membris, ſub pœna Proprietariorum, & priuationis officiorum ipſo facto incurrẽda, ab ijs, qui contra fecerint, & alijs facere permittentibus. Quæ omnia perpetuò, & inuio-
3 labiliter obſeruentur. Æqualis vita eſt, quãdo, tam caput, quã membra, Vicarius generalis, ac Prælati, ac omnes, & ſinguli vtriuſq; ſexus Religioſi æqualiter comedunt, veſtiunt, dormiunt, & alia ad regularem diſciplinam pertinentia faciũt, pro modo, & qualitate ſalutis reſpectiuè, abſq; aliqua differentia inter Prælatum, & ſubditum, ſi vterque valeat, vel conualeſcat, aut ſi debilis, ſed quod omnino id ipſũ ſeruetur, tã in vno, quam in alio, cum in hoc conſiſtat noſtræ profeſsionis regularis obſeruantia, nihilq; magis pro bono pacis, & Religionis ex-
4 pediat. Item nullus Religioſus, (neque etiam Prælatus) in negotijs quanuis pijs etiã in munere prędicationis, aut alio quocunq; intrà, vel extrà ordinẽ taliter ſe occupet, quod nõ poſſit obſeruare Congregationis regularem vitam, & communẽ, cui ſua ſe profeſsione deuinxit, ſed ita ſe habeat in illis omnibus exterioribus, quod profeſsio ab eo facta, & regularis vita in illo ſemper ſine detrimento maneat, ſub pœna grauioris culpę per ſex dies. Vt in omnibus ſeruetur humilitas, & æqua-
5 litas, ad omnia officia, etiam humilia deputẽtur in tabula, omnes, & ſinguli Prælati à Vicario generali (incluſiuè) vſq; ad ſuperiorem Vicarium cuiuſlibet Conuentus: Et quoniam etiã
6 in verbis humilitas ſeruanda eſt, nemo audeat quemcumq; ex illis nomine Paternitatis appellare, aut alterius tituli honorifici

fici,ſed indiſtinctè Sacerdotes vocentur, veſtra Reuerentia; & non Sacerdotes hoc nomine charitas veſtra ſub pœna grauis culpæ.

De Habitu, & clauſura Religioſorum obſeruanda. Cap. 4.

1 QVia in hoc mūdo cōſtituti cura,&ſolicitudine carnis huius,nec omnino exui poſſumꝰ nec ab ea penitꝰ prçualemus abſolui,& ideo veſtibus indigemus : his tamē Dei ſeruos vti decet, per quas exteriori ornatu interior cultus appareat ,prout ille ,qui in veteri teſtamento noſtrę profeſsionis primordia fundauit,ex relatione habitus , hirſutiq; , & inculti corporis ſpecie,Ochoziæ Regi fuit manifeſtꝰ. Ergo (cū Apoſtolo) mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram,hoc
2 etiam ipſo habitu proteſtante. Sint igitur veſtimenta fratrum lanea,eiuſdem formæ in omnibus cōfecta ex ſargia , quæ Hiſpanè dicitur (Sayal;aut Gerga) coloris Griſei,qui Hiſpanè dicitur (Buriel) habentia colorem naturalem ipſius Griſei , ſine aliqua tinctura : Tunica ſuperior ſit ſtricta , & deſcendat vſq; ad talos, & non amplius,habens manicas non multum amplas: Scapulare ex eadem ſargia , eius coloris ſtrictum , & anguſtū: Capa cum Caputio ſtricto ex eadem ſargia albi coloris , breuius ipſo ſcapulari alio palmo extento. Zona ſit ſatis lata ad altitudinem duorum digitorum per trāſuerſum de corio nigro, non colorata aliquo colore artificiali,neq; munita aliquo fulgenti metallo,ſed habens tantum in extremitate parum de oſſe ad ſtringendum.Item tunica interior ſit ex eadem ſargia albi,vel mixti coloris ex albo, & nigro. Tunicella verò hærens carni,ſit ex ſtamenia alba,rotunda, & in pectore cum apertura competenti,vt poſsint ſe aptè diſponere ad diſciplinas recipiēdas cum opus fuerit humiliter,& deuotè: neque ad emungendas nares vtantur fratres noſtri linteaminibus lineis, ſed laneis.
3 Incedant fratris noſtri Diſcalceati,ita tamē,quod vtantur omnes in vniuerſum ſandalijs confectis ex canabe, vel ſparto, ità quod ex ſuperiori parte nuditas pedis appareat ; neq; vtantur caligis ad crura,niſi ex neceſsitate,&ratione itineris. Fœmora-

lia etiã fratres noſtri ſemper calciata portent: quod ſi aliquis alijs indumẽtis vſus fuerit, pœna grauioris culpæ puniatur per decem dies, diſtricte præcipientes, vt vniformitas in habitu, & veſte ſeruetur: declarantes, quòd fratres laici eiſdem veſtimentis omninò vtantur, quibus fratres Clerici, coronam autem non portent.

De Donatis Recipiendis.

§. I.

1
Recipiantur Donati, ſiue Cõuerſi cũ licentia Prouincialis,
& conſenſu Conuentus, vbi recipiuntur, de moribus, &
vita prius ſuo habitu ſœculari retento per aliquot dies e-
xaminati. Expleto autem anno ſi à Conuentu fuerint appro-
bati, vt Religioſi, de licentia Prouincialis poterunt corã Prio-
re, & Clauarijs votum ſimplex (quod eos quo ad nobiſcũ fue-
rint in Religione tantùm obligabit, non autem, ſi ipſi receſſe-
rint, vel à nobis expellantur, ita quod recedentes, vel expulſi
2 nulla poſtea indigeant diſpenſationẽ, Obedientiæ, Caſtitatis,
& Paupertatis, quo vſque expellantur, emittere. Quo emiſſo
non niſi per Diffinitorium, tam Generalis, quam Prouincialis
Capituli expelli poſſunt: Si contra aliquod votorum mortale
peccatum commiſerint: Si literas, aut alia internuntia Religio-
ſis ſine Prælati licẽtia dederint, vel à Religioſis danda ſœculari
bus portauerint, aut alia comiſerint, quę dicto Diffinitorio hac
pœna cõdigna viſa fuerint. Charitatiuè ſuis infirmitatibus oc-
curratur, & in die obitus quilibet Sacerdos Conuentus vbi de-
ceſſerint vnam dicat Miſſam, & quilibet Conuentus illiꝰ Pro-
uinciæ Miſſam Conuentualem dicere teneatur. Veſtimentis
Religioſorum non vtantur, ſed veſtiantur ex eadẽ ſargia Griſ-
ei coloris admodum ſœcularium cum ſcapulari paruo, vſq; ad
genua, & ſãdalibus apertis: habitꝰ vero, & ſimiliter capa eiuſ-
3 dem coloris, & ſine caputio deſcendat, ita vt vno palmo, & di-
midio diſtent à terra, & non amplius. Statuimus quod fratres
noſtri in tunica, & ſcapulari dormiant omni tempore ſuccin-
cti ſub pœna grauis culpæ, exceptis infirmis, quorum relin-
quimus arbitrio, vt ſcapulare induant, vel deponant: nunquam

tamen

tamen ſine alba tunica, debent eſſe. Quicunq; autẽ nudus iacere inuentus fuerit pœna grauioris culpæ (ſi ſemel depræhẽſus fuerit) per vnam diem ad minus puniatur: ſi autem aſſuetus fuerit, pro qualibet vice pœna prædicta ei duplicetur: & nihilominus volumus, quod comedat ſedens in terra panem, & aquam cum ſcapulari, & capa: Qui autem ſine ſcapulari dormierit, ſuam pœnitentiam faciat ad nutum Prioris. Item vſum
4 linteaminũ, c&ulcitrarum, quæ Hiſpane dicũtur (colchones) in dormitorio, niſi pro euidenti neceſsitate, & de licentia Prioris penitus inhibemus ſub pœna grauioris culpæ per tres dies. Sed vtantur fratres lodicibus laneis, aut alijs coopertoriis religioſis, ſine picturis, ſimplicibus, & honeſtis; & (pro ſtramẽtis) vtantur corticibus Arborum, aut alijs ſtramentis humilibus, & quæ vulgo dicuntur (corchos) vel etiam tabulis.

De Clauſura. §. 2.

1 ITem tempore dormitionis fratres in cellis maneãt, neq; vſq; ad pulſationem campanę communem, niſi pro neceſſarijs naturæ ab eiſdem exeant, ſed neque in verbis, vel alio modo ſtrepitum faciant, vnde dormientes inquie-
2 tari quo quomodo poſsint. Item ordinamus, quod Prior localis, vel Supprior, & Præſidentes Conuentus cuiuſcunq; per ſingulas noctes cellas fratrum ſub pœna grauis culpæ habeant viſitare cum lumine, neq; eis intrare liceat ſuos lectulos, donec eis conſtet, quod omnes fratres in cellis ſuis ſint, vel intra ſe-
3 pta loci debito modo, & honeſto. Item ordinamus quod quicunq; frater nocte cellam alterius ſine licentia Præſidentis intrauerit, pœna priuationis loci, & vocis ipſo facto puniatur.
4 Item quod nullus intret in cellam Prioris eo abſente, nec aliquis extrahat aliquid ex aliqua cellula, abſq; licentia ſub eadẽ
5 pœna. Item ordinamus, (vt melius ſeruetur Regula, quæ præcipit fratres manere in cellulis ſuis, vel iuxta eas die, ac nocte in lege Domini meditantes) quòd nemo egrediatur extra domum ad aliquod negotium pertractandum, excepto Priore, Procuratore, & Prædicatore ſolum quando iuerit ad prædicã-

dum. Neque egrediantur ad ſepeliendos mortuos, neq; ad viſitandum conſanguineos, neque infirmos, neque ad confeſsiones audiendas, (niſi in aliquo caſu ita grauis neceſsitatis, quod contra charitatem eſſe videatur, non ire ad audiendam talem confeſsionem) ſub pœna grauioris culpæ per tres dies.

De Eleemoſynis petendis, & de Miſſarũ accipiendo numero. Cap. 5

1 MAndamus, ne in noſtra Prouincia fratres Eleæmoſynas hoſtiatim, vel per vicos petant, neque in agrum petendi eleæmoſynam cauſa (vulgariter por las heras) tẽdant, neq; alio modo, qui occaſionem indeuotionis, vel diſtractionis ſœcularibus præbeat: ſed quidquid eleæmoſynarum Domibus noſtris affertur, cum gratiarũ actione recipiatur. Et omni diligentia procurandum eſt, exercitijs, & operibus manuũ noſtrarum, (Religioſos tamen decentibus) pauperem vitã no-
2 ſtram ſuſtentare. Quod ſi cõtingat in aliquo, vel aliquibus Cõuentibus non habere commodam ſuſtentationem, ex quo aliquoties in grauem neceſsitatem incidãt, cui nullo modo poſſit ſubueniri niſi petendo eleæmoſynam, tunc Prędicator illius Domus, vel aliquis ex ſenioribus à Priore ad hoc deputatus egrediantur ad ciuitatem, vel villam. Et concomitatus Parocho, vel aliquo ſœculari (ad libitũ Prioris eligendis, vel mutandis) ex honorabilibus, per domos petat, & recipiat eleæmoſynam, quam illi dederint, & omni breuitate poſsibili domum ſe recipiat, neque illis liceat vllo pacto ad agrum exire ad petendum
3 eleæmoſynam. Si aliquis ſœcularis deuotus curam petẽdi eleæmoſynam pro aliqua domo Prouinciæ vellet recipere, conueniens hoc eſſet, conſcientiaſq; Priorum quantum poſſumus
4 oneramus, vt hoc omni ſolicitudine procurent. Ordinamus, & diſtrictè precipimus, ne in aliquo Conuentu recipiãtur plures eleæmoſynæ, ſiue pictantiæ pro Miſsis, quam illæ, quę intra duos, vel ad plus tres menſes, poſsint perſolui ſecundũ numerum Sacerdotum illius Domus. Quod ſi contingat aliquando, (vel ex deuotione ſœcularium ad illam Domum, vel ex alia cauſa) maiorem numerum recipi: Tunc Prior illius Cõ-

uentus

uentus (ex conſenſu Prouincialis) diſtribuat inter alios Conuentus, prout illis videbitur, itaut certò ſciant quam citò perſoluendas eſſe, & de his omnibus mittat teſtimonium ad Capitulũ generale, & poſt eà non recipiat plures Miſſas, quã dicere poterit quotidie ſecũdum numerũ Sacerdotum. Priorẽ, aut Prçſidentem, qui in hoc negligens repertus fuerit, eo ipſo voce paſsiua priuari mandamus. Semper tamen pro vna Miſſa, vna pictantia accipiatur ſub pœna grauioris culpæ per tres dies.

De Receptione Nouitiorum. Cap. 6.

1 IN Receptione Nouitiorum magna eſt adhibenda diſcretio,
ideo ſtrictè prçcipimus, vt ſeruetur Bulla fel. rec. Sixti quin-
ti, tàm Vicario generali, & Diffinitorio, quã Priori Prouin-
ciali, & localibus, & quibuſcunq; Præſidentibus Monaſterio-
2 rum, Conuentuum, ſub pœna priuationis vocis, & loci ipſo fa-
cto incurrenda præcipimus, ne aliquem recipiant ad habitum,
ex his qui deputantur Choro, niſi ſufficienter ſciant Gramma-
ticam, ita vt poſsint ad aliam facultatem ſtatim tranſire, & niſi
ſint moribus, & vita probati, & bona valetudime, ad ſuſtinẽdos
labores Ordinis apti: Laici verò examinẽtur, ſi in aliquo ope-
3 re manuum ſint inſtructi, vel apti, vt inſtruantur, & aliter non
poſſunt recipi, & tunc recipiantur de licentia Vicarij generalis,
& Diffinitorij, quæ licentia non niſi cum ſex votis Diffinito-
4 rij poſsit probari: Ad Prædictam autem requiſitionẽ, & exa-
minationem faciendam in qualibet Domo, vbi Nouitij ſint re-
cipiendi, ſint duo fratres examinatores deputati, vel tres ido-
nei, qui à maiore parte Capitulj eligantur, & ſic (requiſitione,
& examinatione facta de prædictis, & præterea de alijs contẽ-
tis in Ordinario) Priori, & Capitulo referant, eorum iudicio
5 relinquentes; vtrùm recipi debeant, quę receptio per vota ſe-
creta à maiori parte Capituli fiat. Nullus ergo recipiatur, tam
ad habitum, quam ad profeſsionem, ſiue laicus, ſiue clericus, ni-
ſi de licentia Prioris Prouincialis; & conſenſu maioris partis
Capituli eius Domus, in qua recipitur. Quod ſi oppoſitũ fiat,
ſic receptus nullatenus admittatur ad profeſsionem, & tã Prior
aliter recipiens, quam aſſenſum præbentes puniantur grauiori
culpa

6 culpa per decem dies. Item ſi qui ad Congregationem noſtrã
venerint ex fratribus noſtris Mitigatis, ordinamus, vt prius re-
cipiantur per Diffinitorium Capituli generalis, & cum licen-
tia in ſcriptis recipiantur in noſtris Couentibus, eo modo, quo
cæteri Nouitij ſæculares recipiuntur, ſecundum conſtitutio-
nes, & habeant annum integrum Nouitiatus, & hoc tempore
poſsint approbari, aut reprobari, & approbati facere ſuã pro-
feſsionem, & à die talis profeſsionis habeant antiquitatem in
7 Ordine. Religioſos verò profeſſos aliarum Religionum, ſi quis
acceperit ſine literis dimiſſorialibus ſuorum Prælatorum, per
annum voce actiua, & paſsiua ſit priuatus, & ab officio ſuſpẽ-
ſus. Conſiderent autem Prælati omnes, aliarum Religionũ pri-
uilegia, quæ tranſitus ad alias Religiones vetant propter præ-
cepta Summorum Pontificum, & cenſuras in eis contentas, ne
inuoluantur, & iuxta ea cum talibus recipiendis, vel forſan re-
8 ceptis, procedant. Eadẽ pœna puniatur, qui coniugatos (ſtan-
te matrimonio) vel ratiocinijs obligatos receperit. Pizochoræ,
aut Beatæ nullo modo recipiantur ad habitum noſtræ Religio-
nis, nec votum ſimplex tales Pizochoræ, ſiue Beatæ emittãt,
nec votum ſolẽne ſub noſtra Obediẽtia, & protectione. Quod
ſi ſecus fiat, ſit irritũ, & puniatur recipiens arbitrio Diffinito-
rij Generalis. Eunuchi ſimiliter non recipiantur niſi de licentia
Diffinitorij Generalis, ſub pœna ſuſpẽſionis ab officio per ſex
9 menſes. Item prohibemus Prioribus Prouincialibus, & locali-
bus ſub pœna depoſitionis ab officijs, ne recipiant ſpuriũ, aut
Sacerdotis filium poſt ſacri Ordinis receptionem, nec iam re-
ceptum ad profeſsionem admittant, niſi de licentia Vicarij ge-
neralis, & Diffinitorij in Capitulo generali. Et quoniam ali-
10 qui, qui primitiuam Regulam profeſsi ſunt, á nobis exierunt,
ſiue in ſæculo commorentur, ſiue in aliqua alia Religione, aut
etiam inter fratres noſtri Ordinis Mitigatos, ordinamus, ne
huiuſmodi poſsint recipi in noſtra Congregatione, niſi ex aſ-
ſenſu Capituli generalis, quibus imponatur pœna ex arbitrio
ipſius Capituli ſecundum exigentiam ſuarum culparum.

Quod ſiquis hoc prætermiſſo ordine aliquem
huiuſmodi receperit, ipſo facto ab
officio ſit depoſitus.

De

De Fratribus decedentibus, & eorum ſuffragijs. Cap. 7.

1 STatuimus, quod Prior, vel Præſidens Conuentus ſtatim teneatur ſub pœna grauioris culpæ per decem dies certiorem facere Prouincialem, & Prouincialis, Vicarium generalem de morte cuiuſcunque fratris, aut Monialis noſtræ Cōgregationis, vt ſuffragia ei applicentur tali modo, vt pro quolibet Religioſo in ſua Prouincia, in quolibet Conuentu cantetur integrum officium defunctorum cum Veſperis, & Miſſa Conuentuali, in alijs autem Prouincijs vnum nocturnum etiā cum Veſperis dicatur, & quilibet Sacerdos Prouinciæ, in qua defunctus eſt vnam Miſſam celebret, qui non fuerit Sacerdos, ſed vitæ actiuæ, aut choriſta, triginta vicibus Pater noſter cū Aue Maria dicet. In alijs vero Prouincijs vnam Miſſam Conuentualem dicat quilibet Conuentus, tàm fratrum, quàm Monialium. Pro Monialibus vero quilibet Conuentus Congregationis vnam Miſſam dicet Conuentualem. Pro Vicario generali, Diffinitoribus, Prouincialibus, aut Procuratore generali, & eorum ſocijs, qui libet Sacerdos totius Congregationis, & quilibet Conuentus, tàm fratrum, quàm Monialium vnam Miſſam dicat Conuentualem. Choriſtæ, & laici triginta vici-
2 bus Pater noſter cum Aue Maria. In omnibus Conuentibus fratres à ſœcularibus ſemoti ſepeliantur, & monumenta fratrū
3 à monumentis ſœcularium diſtinguantur. Statuentes, quod ſingulis hebdomadis feria Secunda dicatur Miſſa defunctorū cum proceſſione, vt cōtinetur in Ordinario, & quod ter in anno fiat commemoratio cum Vigilijs nouem lectionū, & Miſſa ſolemnis pro fratribus defunctis noſtri Ordinis, & ter pro parentibus, & amicis fratrum, & pro omnibus qui in Cimiterijs noſtri Ordinis ſunt ſepulti, & ter pro Patronis, familiaribus, & benefactoribus, & pro illis qui literas habuerunt Confraternitatis. Primas tres Miſſas cum officijs mortuorum nouē lectionum faciant fratres inter Octauam Epiphaniæ, & Purificationem Beatæ Mariæ. Secundus Ternarius fiat inter octauas Paſchæ, & Aſcenſionem Domini. Tertius vero fiat inter

feſtum

feſtum ſancti Michaelis,& feſtum Omnium Sanctorum. Item
4 ſtatuimus,quod audita morte Sanctiſſimi Domini noſtri Papę
fiant in ſingulis Conuentibus exequiæ ſolemnes , ſimili modo
5 volumus,& ordinamus fieri pro Illuſtriſsimo Ordinis Procuratore,& Generaliſsimo totius Ordinis poſtquam eius obitus denuntiatus fuerit,in Prouincijs,tàm in Conuentibus fratrum, quàm Monialium dicatur vna Miſſa Conuentualis.

De labore Fratrum,Clericorum,& Laicorum, ac inſtitutione Nouitiorum. Cap. 8.

1 MAndamus Prioribus Localibus,& Præſidentibus Conuētuum,quòd omnes fratres ſuos,tàm Clericos, quàm Laicos per ſanctæ obedientiæ meritum moneant , inducant, & ſi opus fuerit,compellant ad aliquid operandum, & ſemper eos in aliqua occupatione bona ponant;, & tencant ſub pœna grauis culpę per duos dies tàm Priori,quàm otioſis, aut vagè diſcurrentibus infligenda, cum in regula mandetur, ſemper aliquid boni operari,nec volumus,quod Priores,aut quicunq; Maiores permittãt aliquo modo ſuos ſubditos otioſè diſcur-
2 rere, vel vagari. Clerici ſtudeant ſecundùm quod fuerint diſpoſiti, & ſemper poſt diuina peracta occupentur circa virtutes. Fratres verò laici,vel ſemifratres ad arbitriũ ſui Prioris la-
3 borent non ſolum intra Conuentum , ſed etiam extra,quilibet in arte ſua,vel opere ſuo, vel quocunq; alio.ſub pœna in obedientiæ eis infligenda,& fratres, tàm Clerici , quàm laici,ſine murmure operentur vbi, & quando aliquid laborandum,& o-
4 perandum eſt ſub pœna panis & aquæ per duos dies. Fratres verò laici, vbicunq; fuerint,ſiue in Conuentu,ſiue extra ſemper faciant fratribus clericis reuerentiam, & potiſsimè exiſtētibus in ſacris Ordinibus,ſed præcipuè Sacerdotib⁹, eis humi-
5 liter reſpondendo,& cedendo. Semifratres,& fratres laici poſt Nouitios dicant culpas ſuas,&moneantur in Capitulo,ac charitatiuè corrigantur,& tunc egrediantur,neq; interſint ſecretis Capituli,neq; habeant vocem in electionibus. Vt autem labor manuum commodius,& vtilius exerceri poſsit,volumus,vt in quolibet Conuentu introducatur exercitium laboris manuum
ſecundum

ſecundum Prouinciæ diſpoſitionem in ea re ex qua maior vtilitas,& cum maiori honeſtate, & minori diſtractione fratrum accipi poſsit. Et pro huius laboris exercitij perpetuitate volumus, vt in arca communi trium clauium ponatur ſumma pecuniarum pro exercitio laboris manuum neceſſaria ad inſtrumenta,& alia neceſſaria emenda,& ex hac ſumma neque Prior localis,aut Prouincialis poſsint aliquid accipere,neq; Clauarij poſsint illud dare ſub pœna priuationis ſuorum officiorũ incurrenda ei, qui oppoſitum fecerit. Rurſus pro eis exercitijs deputetur aliquis frater, qui totius exercitij curam habeat, & pecunias tribuat,& accipiat, & qualibet ſeptimana rationem Clauarijs det dati, & accepti in ſcriptis. Et quod illa ſeptimana lucratum fuerit, Conuentui tradatur in communem vſum. Aduertat autem Prior in hoc exercitio non fiant aliqua curioſa,aut ſcandaloſa,ſed vtiliora,& honeſtiora.

De Inſtructione Nouitiorum.

§. I.

1 IVxta tenorem Concilij Tridentini nullus ante decimũ ſextum annum completum ad profeſsionem ſuſcipiatur. Item ſtatuimus,vt Nouitij Clerici tempore Nouitiatus ſint intenti ſolicitè, vt diſcant diuinum officium , & informentur de ſingulis totius Regulę,de cœremonijs Chori ſedendo,ſtando,ſternendo, inclinando, ſe cruce ſignando, quãdo,& qualiter talia debent fieri ſecũdum Ordinalem,& de inſtitutis harum Conſtitutionum , neq; alio ſtudio occupentur, per quencumq; donec fuerint in his ſufficienter inſtituti , & Priores,& Magiſtri Nouitiorum in hoc negligentes per ſeptẽ
2 dies pœna grauis culpæ puniantur . Item præcipimus , quod nulli Nouitiorum officium Sacriſtæ , aut Hoſtiarij , neque aliud officium exigens ſæcularem communicationem detur, ſed attendatur,quod de ſalute animæ ſuę ſit ſolicitus,ſi ſit deuotus in Eccleſia,ſi confiteatur compunctus,ſi humilis,ſi manſuetus, obediens,aſpectu,& geſtu pudicus,non diſſolutus,nõ loquax,
3 non rixoſus,non malè morigeratus, & ſi incorregibilis videatur,ſtatim eijciatur,ne cæteros prauis moribus inficiat. Habeãt

omnes Nouitij vnius domus vnum Magiſtrum deputatum, &
ille frequenter moneat eos de mutatione morum ſæcularium,
& obſeruantia Regulæ,& ceremoniarũ,& corrigat eos,etiã in-
4 crepationibus ,& diſciplinis charitatiuis. Magiſtri Nouitiorũ
vniformiter ſecundum ordinationes Congregationis in om-
5 nibus Conuentibus procedant. Item Priores non permittant
ab aliquo inferiori Nouitios redargui,niſi à Magiſtro ſuo , vel
Suppriore,quod tamen rarò fiat,& in Magiſtri defectu euidẽ-
6 te. Nouitij non interſint ſecretis Capituli cuiuſcunq;,ſed ſi ibi
vocentur,dicant culpas ſuas ante etiam profeſſos laicos,& ex-
eant,Laici vero fratres non vtiq; interueniant Capitulis,ſed di-
7 ctis culpis,& charitatiuè correctis exeant,vt ſupra.Ordinamꝰ,
autem vt ante annum profeſsionis expletum,Nouitij ter Ca-
pitulo proponantur,& per vota ſecreta recipiantur,vel exclu-
dantur à maiori parte Capituli, & oneramus conſcientias exa-
minatorum,& proponentium eos,vt fideliter,& veraciter Ca-
pitulo rationem reddant, intelligentes ſe eã exactius Deo red-
dituros. Sub pœna expulſionis prohibemus Nouitijs, vt ante
profeſsionem ſacros Ordines non recipiant.

De Studijs , & ſtudentibns.
Cap. 9.

1 QVoniam ignorantiam cognoſcimus eſſe erroris matrẽ,
& cuius libet ſtatus ruinam , ideò Ordini noſtro ſuper
hoc prouidere cupientes,ſtatuimus,quod in noſtra Cõ-
gregatione ſint ſtudia generalia ſacræ Theologiæ,& artium in
his locis,& Conuentibus, ſiue Collegijs Theologicis,in quibꝰ
2 Priori Prouinciali videbitur expedire. Ad quæ ſtudia mittan-
tur ſtudentes ſecundum diſpoſitionem Prioris Prouincialis,&
Diffinitorij Capituli Prouincialis. Caueant autem, ne ad hæc
ſtudia aliquem mittant,niſi ingenioſus ſit,& ad literas aptus,&
3 obſeruantiæ regularis , & valetudine corporis præditus , &
oppoſitum facientes puniantur grauiter , nec mittatur aliquis
ad ſtudium,ſeu Collegium donec tranſeat integer annus à die
ſuæ profeſsionis. In his ſtudijs ſint duo Regentes, ſiue lecto-
4 res,vel ſaltim vnus,qui eligatur, & deputetur àPriore Prouin-
ciali.

5 ciali. Sit etiam prætcrea, qui ſtudentibus præſit, & exercitijs literarum intendat. Inhibemus autem ſub pœna excommunicationis ne aliquis frater noſtræ Congregationis poſsit alicui cathedræ cuiuſcunque facultatis ſe opponere, neque curã legendæ cathedræ habere, neq; ſuffragium in oppoſitionibus
6 Cathedrani ferre. Similiter inhibemus etiam ſub eadem cẽſura, ne aliquis frater noſtræ Congregationis poſsit gradum Magiſterij, aut Licẽtiatus, aut Baccalaureatus, ſeu Præſentat' ſuſcipere, aut illo nomine gaudere. Declaramus etiam, ne propter ſtudium aliquis in noſtra Congregatione gaudeat prærogatiuis graduatorum, ſed omnes ſequantur vitam communem in
7 omnibus. In Conuentibus vero, in quibus non ſint ſtudia generalia ordinentur Regentes, qui habeant legere ſcripturã ſanctam, vel caſus conſcientiæ, ad quam lectionem omnes teneantur conuenire ea hora, qua Prior Conuentus determinauerit.
8 Volumus etiam, quod omnes fratres ad prædicta ſtudia miſsi ſecundum ordinationem Prioris, vel Rectoris ſtudentium lectiones audiant Magiſtrorum, Baccalaureorum, & Lectorũ, & diſputationem frequentent, & alios actus ad ſtudium pertinẽtes. Chorum etiam ſequentur, & in Choro ita ſe gerant, prout
9 per prædictum Rectorem illorum fuerit ordinatum. Quia vero Religioſos decet ad hoc ſtudere, vt hæreſes, & vitia extirpentur, eaq; legere, quæ ſibi, & proximis in fide, ac moribus prodeſſe dignoſcũtur: Statuimus, quod nullus cuiuſcunq; gradus exiſtens lecturę, vel ſtudio deputatus, ſcientia ſana relicta, ſequatur, vel tẽtet fantaſticas imaginationes, ſeu opiniones, quę prima facie malè ſonare videntur, quibus neq; ſtudeat, neq; eas legere, docere, vel prædicare audeat, ſub pœna priuationis ſtudij: ſtudeant autem omnes in primis Doctorum noſtri Ordinis determinationes ſuſtentare, ſequanturq; doctrinam ſancti Thomæ in omnibus, tâm philoſophicis, quàm Theologicis quoruncunq; Doctorum contrariam doctrinam, vel communiter non receptam dimittentes,

De literis, & Sigillis. Cap. X.

1 IN quolibet Conuentu ſit ſigillum in Arca trium clauium, vel in poteſtate Prioris, cum quo ſigillentur omnes patentes, &

2 literæ,quæ per Priorem dabuntur. Item ſtatuimus,quod falſa-
rius cuiuſcunq; ſigilli cõmunitatis, aut officiarij, ſiue intra or-
dinem,ſiue extra ordinem,ſi confeſſus,vel cõuictus fuerit car-
ceri mancipetur,quandiu Vicario generali, vel Prouinciali vi-
3 debitur expedire. Item nulli fratres mittant literas alicui, niſi
prius videatur à ſuis Prælatis, & licentiam ab eiſdem habeant
4 recipiendi literas, vel mittendi. Poterit autem omnis ſubditus
ſcribere ſuo Maiori, & ab illo literas accipere, quas non tene-
5 bitur inferioribus oſtendere,& ſiquis literas, vel plicos à Diſ-
finitoribus miſſos, Vicarij generalis,vel Prioris Prouincialis, à
peruerit, vel detinuerit malitioſè,locum, & vocem amittat,&
ſecundum quantitatem delicti carceri mancipetur, & ſimiliter
puniatur,qui literas miſſas ad eoſdem aperuerit, & retinuerit.
6 Item nullus frater aperiat literas, vel retineat cuiuſlibet alteri'
7 fratris ſub pœna grauis culpæ per quinque dies.Item notandũ,
quod tempus,& authoritas quaruncunq; literarũ, quæ certum
terminum cotninebunt,non apręſentatione literarum,ſed àda-
8 ta potius computentur. Literæ miſsiuæ Vicario generali , &
Diffinitorio directè aperiantur, & legantur publicè in eodem
Diffinitorio.

De Ordine, & loco. Cap. XI.

1 IN omnibus Congregationis Conuentibus ſit prima ſedes,&
locus pro Patre Vicario generali pro tempore exiſtenti: ille
vero,cuius officium in Capitulo generali expirauit,& præce
dentes Diffinitores nihil præeminentię habeant vltra antiqui-
2 tatem profeſsionis,& ordinis. Diffinitor ſi abſque authoritate
Diffinitorij , & particulari mandato ad aliquem declinauerit
Conuentum,habebit ſedem poſt Prouincialem, & ante Priorẽ
Conuentus,non tamen propterea in eius regimine ſe intromit-
3 tat, neque extra illum exibit abſque notitia Prælati. Viſita-
tor quando exiuerit nomine Diffinitorij , aut de eius ordine
præcedet,& præſidebit omnibus ad quos viſitandos mittitur
4 durante negotio ſuæ viſitationis.Prouincialis extra ſuã Pro-
uinciam ſedebit poſt Priorem Conuentus immediatè,petet li-
5 centiam ad exeundum,& reliqua faciet,quæ cęteri Conuẽtua-
les,cum ſit extra fines ſuæ Prouinciæ. In Conuentu Diffini-

torij

torij ſi Vicarius generalis iuerit ad populum, aut aliter abfuerit. præſidebit in eo, & illius regimine prim⁹ Diffinitor, & ſucceſsiuè ſecundus, & ſic de alijs. Prior vero localis præcedat nō ſolum ſuos ſubditos, ſed etiam omnes alios Priores dum fuerint in eius Conuētu, & ſi plures ſint ſeruetur quoad illos antiquitas ſuarum domorum, & ſedeant ſemper ante omnes alios inferiores. Poſt Priorem habeat locum Supperior, vel Vicari⁹, & ſucceſsiuè Sacerdotes pro antiquitate profeſsionis, & poſt illos reliqui profeſsi habita ratione ordinis, ita vt Diacon⁹ præcedat Subdiaconum, & ſic de inceps, ſi æquales ſint in Ordine habebitur reſpectus ad profeſsionem, poſtea ſedebunt Nouitij Clerici, etiam ſi ſint Sacerdotes, nouiſsimè laici pro antiquitate profeſsionis.

(The numeral 6 stands in the left margin beside the line beginning "ceſsiuè ſecundus".)

De Hoſpitibus, & itinerantibus Cap. XII.

1 STatuimus, quod Priores locales, aut Præſidentes in Conuentibus in Priorum abſentia fratres noſtros itinerātes benignè, & deuotè recipiant, & ijs ſecundum neceſsitatem, & laborem in victualibus diligenter prouideant, nullam ad hoc neceſsitatem obijcientes, vel demonſtrantes, vt fraterna charitas foueatur ſub pœna grauis culpæ per quinque dies infligē-

2 da, fratres vero tempore comedendi, vel hoſpitandi, qui venire poterint ad Conuentum in villa, vbi Conuentum habemus non comedent alibi, neq; hoſpitentur, neque apud alios Religioſos maneant, vel apud quoſcunq; alios dormiant ſub pœna grauioris culpæ per decem dies, & priuationis ab officio. Item

3 ſiquis habita licentia eundi extra ciuitatem, oppidum, vel villam, & in ciuitate, oppido, ſeu villa vna nocte extra Conuentum maneat, ab officio per ſex menſes, voce, & loco ipſo facto priuatus eſt, ſi vero per duas noctes manſerit, carceri mancipetur, ſi vero per tres, vel plures ſecundum qualitatem, & quantitatem offenſæ grauius puniatur. Item non liceat hoſpitibus,

4 nec alijs fratribus, niſi de licentia Præſidentis in Conuentu, ſepta loci exire ſub pœna Apoſtatarū infligenda, neq; aliquid emant, aut mutuò accipiant, niſi per Priorē, vel de eius expræſ-

ſo

5 ſo ſcitu, & aſſenſu ſub pœna proprietariorum. Item quod ſi
aliquis exierit de Conuentu ad oppidum ad aliquod negotiũ
pertractandum, ſolum illud negotium faciat, ad quod habet li-
centiam, quod ſi aliquid aliud præciſſum contingat, poterit fa-
cere, dummodo ſtatim cum acceſſerit ad Conuentum, dicat, &
manifeſtet Priori: & idem ſit quãdo acceſſerit ad aliud aliquod
oppidum, aut de vno in alterum Conuentum miſſus fuerit: a-
liàs contraveniens puniatur pro prima vice pœna grauiori per
decem dies, pro ſecunda duplicetur, pro tertia priuetur officio,
6 voce, & loco. Vnuſquiſq; ſocium ſibi aſsignatum à Præſiden-
te ſine replica aſſumet ſub pœna grauioris culpæ per decem
7 dies. Fratres verò Congregationis itinerantes ſi deliquerint, à
viciniori Priore, aut Præſidente incarcerẽtur, & puniãtur. Nul-
lus Prior localis licentiam poterit prçſtare fratribus, nec ſibi
aſſumere extra terminum duodecim leucarum ſub pœna pri-
8 uationis ab officio. Omnes fratres itinerantes licentiam in ſcri-
9 ptis portent, quam Priori, aut Præſidenti oſtendere teneantur
ſub pœna carceris, & poſt duos dies ab itinere ſtatim chorum,
10 & communitatem ſequantur. Qui vero in itinere antiquior in
ordine, aut propter alias rationabiles cauſas deſtinatus fuerit à
Priore, aut Præſidente, antiquior gerat vices Prioris in itinere,
& cæteri itinerantes ipſi obedientiam præſtabunt. Item ſtatui
11 mus, quia multi fratres potius fugiunt corretionem, quã Ro-
mam confugiunt, & ſuperbiores, ac elatiores contra ſuos Prę-
latos euadunt, ideo nullus Religioſorum ad Romanam Curiã,
temerè, & ſine licentia ſui Superioris accedat ſub pœna Apo-
12 ſtaſiæ, & maiori pœna puniendus. Liceat tamen, tàm Vicario
generali Congregationis, quàm omnibus alijs fratribus de li-
centia tamen prædicti Vicarij generalis, & Diffinitorij liberũ
habere recurſum ad ſedẽ Apoſtolicam, & totius Ordinis Pro-
tectorem iuxta literas fe.re. Gregorij. xiij. conceſſas dictæ
13 Congregationi, Dat. anno. M. D. LXXX. anno ſui Pontifi-
catus nono. In defectu Prioris ad Prouincialem recurratur, &
in defectu Prouincialis ad Diffinitorium, aliter autem caueant
fratres ne fugiendo correctionem de vno apud alterum cõquę-
14 rantur, ſub pœna maioris punitionis. Niſi propter aliquã val-
15 de rationabilem cauſam nullus frater ſine ſocio mittatur. Cu-
rent fratres veſtigia Apoſtolica ſequi, ita vt in itinere omnes
(niſi

(niſi vrgens neceſsitas arbitrio Prioris, vel Prouincialis examinanda) pedeſtres incedant, & ſi contigerit æquitare, ſit ſine ſella, & cum freno humili, & loris ex canape ſub pœna grauioris culpæ per decem dies.

Secunda Pars Conſtitutionum fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum.

De Obedietia Priori generali, Vicario, & Diffinitorio præſtanda. Cap. I.

1 QVIA OMNIS PERFECtio regularis obſeruātiæ in Obedietia ſita eſt, Reuerendiſsimo Patri generali noſtro, qui nunc eſt, & pro tēpore fuerit ſub modo, & forma in Bulla erectionis noſtræ Cōgregationis fe. re. Sixti Papæ. V. Dat. x. Iulij. M. D. LXXXVII. Pontificatus ſui anno tertio decretis, & ordinatis
2 noſtram Congregationem humiliter ſubmittimus. Admonētes omnes, & ſingulos dictę Congregationis Moniales, & fratres quoſcunq;, tàm Prælatos, quàm ſubditos, licentias omnes, fauores, & gratias à prædicto Patre Generaliſsimo quibuſcunq; eorum conceſſas, vel concedendas iuxta tenorem prędicti Breuis Sixti. V. nullius eſſe roboris, vel momenti, niſi prius Diffinitorio, & Vicario generali Congregationis fuerint præſentatæ, & approbatæ. Quare quicunq; eis aliter vſus fuerit, grauiſsimè puniatur priuatione officij (ſi habeat) & vocis actiuæ, & paſsiuæ per duos annos irremiſſibiliter, & nihilominus
3 gratiæ illæ, vel licentiæ inualidæ, & nullæ cenſeantur. Vicario generali, & Diffinitorio, tanquam capiti, omni humiliate obedientiam in omnibus præſtandam perpetuò ſtatuimus, ac quod per dictum Vicarium, & Diffinitores vniuerſa Congregatio noſtra iuxta tenorem, & formam literarum piæ me: Gregorij,

gorij. XIIII. ſub dat. xv. die Aprilis Pontificatus ſui anno primo gubernetur.

De Receptione Prælatorum.
Cap. II.

1 PRæcipimus, quod fratres humiliter, & deuotè ſine contradictione ſuos Superiores ad ſe venientes recipiãt, & debitam eis obedientiam, & reuerentiam præſtēt, quod ſi nō
2 fecerint, pœna conſpirationis rigidè puniantur. Si autem Vicarius generalis, & Diffinitorium, aut Prouincialis impeditus aliqua euidenti neceſsitate alicui viſitationem commiſſerit, tēpus, & facultas tali Vicario, & Viſitatori in eius literis limitetur, vltra quam, ſi commiſsionem extenderit pœna vſurpantium maiorum officium, quæ eſt carceris, puniatur. Nec talis
3 Vicarius, aut Viſitator vices ſuas alteri ſubſtituere poterit, niſi in literis commiſsionis hoc expreſſe contineatur. Statuimus, vt nulli Vicario, aut Viſitatori credatur, niſi literas ſuæ cōmiſſionis legerit, aut legi fecerit in præſentia eorum, aut maioris partis, ſuper quibus habet exequi commiſsionem, vel niſi copiam dederit de eiſdem.

De modo, & forma viſitandi.
Cap. III.

1 RVina totius Ordinis ex defectu venit indebitæ viſitationis, quare ordinamus, vt Viſitatores, cū venerint ad Conuentus viſitandos primò mane omnibus fratribus conuocatis flexis genibus dicant Hymnum (Veni creator ſpiritus, & reliqua) vt in ordinario, poſtea faciat eis Viſitator collationem exhortatiuam ad obſeruantiam ſuæ profeſsionis, & perfectionem adquirendam, pòſtea dicat, quod auctoritate Dei, &
2 qua in officio fungitur Prælatus, vel Paſtor gregis Dei (ſi fuerit Prior generalis, aut Vicarius generalis, vel Prouincialis) vel authoritate ei commiſſa (ſi fuerit corū Vicarius) præcipio vobis in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ Obedientię, et ſub prę-
cepto,

cepto,vt de ſingulis fratribus vnuſquiſq; cum fuerit interro-
gatus, quidquid ſit dignum accuſatione,& quod ei dictauerit
conſcientia eſſe corrigendum , & emendandum pro vtilitate
Domus,& honeſtate,ac animarum ſalute dicat purè,veraciter,
ſecluſo omni odio, & amore, & pauore, excepto timore Dei,
3 & periculo damnationis animarum veſtrarum.Inquirat Viſi-
tator primò de obſeruantia legis Dei,& Eccleſię,deinde noſtrę
Regulæ,& Conſtitutionum , & tranquillitate fratrũ , & ſi ſint
aliqua delicta puniat ſecundum ſuam facultatem. Sumet etiam
rationem ſumptuum Domus, & inuentaria videat. Audiat ſin-
gulos fratres ſigillatim inquirens ab vnoquoq; eorum de præ-
dictis ſecretè, & defectus paucos ad ſuam notitiam venientes
poterit perſe corrigere,& punire in Capitulo de culpis facien-
do,in quo expediens illos, qui non ſunt Capitulares,Prior fa-
ciat culpam ſuam,& interim totus Conuentus ſtet,& ipſo ex-
pedito cæteri ſigillatim vnus poſt alium procedant. Si tamen
in Priore ſit aliquis defectus,non omnibus cognitus,vel maio-
ri parti,non publicetur faciliter,ſed ſecretè in præſentia bene-
uolorum eius corrigatur. Faciat deinde Viſitator ſi videbitur
4 expedire, aliqua ſtatuta rationabilia , quæ fratres debeant ſer-
uare, & ſcribantur in libro ad hoc deputato ſeruando in arca
trium clauium,qui oſtendetur Viſitatori ſequenti , vt videat
5 qualiter ea obſeruata fuerint. Viſitator autem copiã ſtatuto-
rum retineat,& ſi fuerit Vicarius mittat Prælato, cuius vicem
6 gerit: Et totis viribus pacem poſt ſe relinquere procuret. Pro-
uincialis facto ſcrutinio,ſi fuerit aliqua culpa, audita parte le-
gitimè procedet,corriget,& caſtigabit omnes culpas vſque ad
grauiſsimam excluſiuè facto proceſſu, vel non , prout iuſtum
fuerit. De grauiſsima autem formato proceſſu in Diffinitoriũ
mittet,ſi autem de alijs culpis fiant proceſſus diligenter obſer-
uabuntur,ad hunc tantum effectum, vt ſi per partem fuerit re-
clamatum ad Vicarium generalem,& Diffinitorium,poſsit eo-
rum quæ fecerit rationẽ reddere:aliàs tantũ habebit mittere re
lationem ſtatus,in quo inuenit,& reliquit Conuentus, & Mo-
naſteria,tàm fratrum,quàm Monialium ſolum in eorum rebus
7 generalibus. Prior etiam in ſuo Conuentu eundem ordinem
8 obſeruabit vſq; ad culpam grauem incluſiuè. Quod ſi in aliquo
caſu facultates eorum excedente celeri remedio prouidere o-

portet,poterunt illud adhibere prædicti Prouinciales,& Priores,ſtatim tamen certiores faciant Superiores, quorum facultate in tali caſu vſi fuerunt,tàm de remedio,quã de cauſis eiuſdem.
9 Prouincialis in viſitatione Collegiorum perſe ipſum,vel per duos examinatores in ſua præſentia Religioſos Collegas examinabit, & inquiret de ſingulorum in literis progreſſu, & ingenio: & ſalute ſimul cum obſeruantia Religionis, & virtutis,etſi ſint apti,& idonei ad proſequendum ſtudia ſimul cum labore, & perfectione noſtræ Religionis. Quod ſi aliquid ex prædictis in aliquo inuenerit deficere, auferet eidem ſtudendi
10 licentiam. Quãdo Reuerendiſsimus Prior generalis totius ordinis viſitare voluerit iuxta literas Apoſtolicas erectionis noſtræ Congregationis fratres humilem obedientiam præſtabunt.

De modo ſeruando in viſitatione, confeſsione, & locutione Monialium. Cap. IIII

1 IVxta literas præfati Gregorij. xiiij. Moniales ſicut,& fratres Vicario generali, & Diffinitorio ſubiiciuntur, & Prouinciales habent eas gubernare,viſitare,& corrigere vſque ad grauiſsimam culpam excluſiuè, & de confeſsionibus prouidere,neque aliqui præter prædictos in illis habeãt
2 iuriſdictionem, nec ipſis detur Vicarius,qui eas gubernet. Et vt circa ingreſſum intra clauſtra Monaſterij exactius ſeruẽtur decreta ſacri Concilij Tridentini,& Apoſtolicæ ordinationes, ſtatuimus,quod Prouincialis,& Viſitator in viſitatione Conuentuum Monialium non poſsit clauſtrum ingredi, niſi tantũ pro habendo Capitulo de culpis,cum voluerit ſuam viſitationem finire, tuncq; clauſſuram Monaſterij inſpiciat, ne ſit ne-
3 ceſſe ob id iterum ingredi. Pro electionibus verò,& pro audiẽtia earum in viſitatione, aut etiam pro ſpirituali exhortatione nullo pacto clauſtrum ingrediatur, ſed ad cancellos hæc om-
4 nia fiant. Inhibemus etiam ei, apud Monaſteria Monialiũ comedere,&cœnare,aut noctu manere ſub pœna grauioris culpę per decem dies. Sed ſi contingat non eſſe in illo loco Monaſterium fratrum noſtrę Congregationis, ad quos poſsit diuer-

tere,

tere, ad aliquam demum honeſtam viciniorem diuertat, vbi Conuentus Monialium ex bonis communitatis prouideat ei de victu communi, & regulari Conuentus, & nõ aliter ſub pœna depoſitionis ab officio, tàm facienti, quàm permittenti infligenda.
5 Viſitationem faciet ſine ſtrepitu proceſſuum, niſi aliud neceſsitas exegerit, qui ad hoc tantum deſeruiant, vt ſi ab aliqua (quod abſit) fuerit reclamatum, poſsit rationem Diffinitorio reddere, excepto proceſſu de grauiſsima culpa, quẽ ſtatim ad Diffinitoriũ mittet.
6 In viſitatione vnius Monaſterij Monialium non faciat moram vltra quinq; dies, & ad ſummũ octo ob aliquam vrgentem cauſam, quam poſtea Diffinitorio ſignificabit.
7 Prior Prouincialis eis de confeſſoribus prouideat, & nemini confiteantur, tam ex fratribus noſtræ Congregationis, quàm ex alijs niſi ad id fuerit approbatus à Prouinciali cũ licentia in ſcriptis, quæ in arca trium clauium Viſitatori oſtendenda ſeruetur.
8 Et ſi contingat ad prædicta Monaſteria ad rẽ ſacram celebrandam, aut concionem habendam accedere, ab alijs colloquijs omnino abſtineant. A nimia familiaritate inter ſe maxime caueant, nec munuſcula adinuicem mittant, aut recipiant, ne ſpiritus ad ſuperna anhelãs, his negotijs detineatur.
9 Ad Monaſteria, aliarum Monialium nullus præter Priorem, aut Prouincialem etiam ad confeſsiones audiendas accedat ſine licentia Diffinitorij, quę omnia, & ſingula præcipiuntur ſub pœna priuationis vocis, & loci per vnum annum, tàm fratrib⁹, & Monialibus delinquentibus, quàm Prælatis conſentientib⁹ infligenda.
10 Mandatum Illuſtriſsimorum Dominorum Cardinalium ſacræ Congregationis Regulariũ ſeruetur: Inquo præcipitur, vt null⁹ Religioſus cuiuſcũq; gradus, ordinis, aut qualitatis exiſtens Monaſterium Monialium accedat, excepto Superiore Monaſterij, Confeſſario ordinario, extraordinario ſine licentia expræſſa eiuſdem Congregationis.
11 Quod ſi aliquãdo ad celebrandas Miſſas mitti contigerit, prohibetur, ne dicti Religioſi vllo quæſito colore Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam perſonam intra clauſuram degẽtem alloqui poſsint.
12 Prohibetur etiam, ne in ædibus Monaſterij, ſeu Domibus Monaſterijs contiguis per noctẽ, aut alios per noctare faciãt. Prohibetur etiam omnibus Religioſis, vt non comedant, aut bibãt, aut reficiantur apud dictum Monaſterium Monialium. Quæ

omnia,& ſingula ſub pœna priuationis officiorum , ac vocis a-
ctiuæ,& paſsiuæ ipſo facto incurrenda præceperunt inuiola-
biliter obſeruari,tàm facienti,quàm permittenti : quod māda-
tum,vt noſtra Conſtitutio , & perpetuum ſtatutum ab omni-
bus dictæ Congregationis approbatum, & receptum ſeruetur.
13 Nullus autem frater,ſiue Religioſus,ſiuè ſæcularis, etiam cum
quacunq; licentia, uel quacunq; legitima cauſa cum Moniali
loquatur , niſi in præſentia ſaltem duarū aſcultatricum ab illa-
rum Superiori de conſilio diſcretarum deputandarum,quę or-
14 dinariè pro tempore officio illo fungantur.Neminem Religio-
ſorum,aut ſæcularium ſine velo alloquantur,ſine licentia Dif-
finitorij in ſcriptis ſeruanda in arca trium clauium , niſi fuerit,
Pater,Mater, aut Soror,aut Viſitator,quando ad eas viſitādas,
aut ad electiones faciendas accedit ſub pœna priuationis ab
officio Prælato facienti,aut conſentienti, & priuationis vocis
actiuæ,& paſsiuæ Moniali. Ob reuerentiam Sacroſancti Eu-
15 chariſtiæ Sacramenti, quod Monialibus per feneſtram paruu-
lam exhibetur,præcipimus in virtute Spiritus Sancti , ſanctæ
obedientiæ,& ſub præcepto, & ſub pœna priuationis ab offi-
cio, & vocis actiuæ,& paſsiuæ, quod ad nullum alium effectū
huiuſmodi feneſtra àperiatur,excepto ad dandum velum, quia
aliter nequit fieri.

De Capitulo generali noſtræ Congregationis. Cap. V.

1 CApitulū generale Congregationis die ſanctiſsimæ Pē-
thecoſtes tertio quoque anno celebretur, & in eo Vica-
rius generalis cum Diffinitorio præſideat,ſed quando in
Capitulo alter Vicarius generalis eligendus eſt , ſtatim hoc fa-
ciat electus,ſi præſens ſit,ſi autem abſens,præſideat ille , cuius
2 officium ibi expirat,&eo abſente primus Diffinitorum.Ad ea,
quæ in tali Capitulo agenda ſunt,vocem habeant actiuam , &
paſsiuam,ac locum Vicarius generalis,& Diffinitores , tàm in
eo electi, quàm præcedentes , & Priores Prouinciales, cū ſin-
3 gulis Socijs canonicè electis in Prouincialibus Capitulis im-
mediatè præcedentibus. In Capitulo primum locum teneat

Vicarius

Vicarius generalis ibi electus, ſecundũ,illius immediatus Præ-
deceſſor, tertium Diffinitores ſub ordine in eodem Capitulo
electi, quartum Priores Prouinciales ſecundum antiquitatem
Prouinciarum,quartum præcedentes Diffinitores,quorũ offi-
cium expirat cum Capitulo , Sextum Socij Priorum Prouin-
cialium iuxta antiquitatem Prouinciarum, qui omnes per vo-
catorias à Vicario generali conuocati ad generale Capitulum,
4 ſub pœna priuationis vocis , & loci ipſo facto non ante vigiliã
vigiliæ Penthecoſtes ad generale Capitulum accedãt,ſine ex-
preſſa licentia Vicarij generalis,& Diffinitorij, quod etiã ſer-
uetur in Capitulo Prouinciali. In omnibus vero negotijs diffi-
5 niendis,tàm in Diffinitorijs,quàm in Capitulis etiam Conuẽ-
tualibus,præterquam in electionibus,propoſito negotio abeo,
qui præſidet,per fabas albas, & nigras ſinguli vota ſua dare te-
neantur. Et ſimiliter ſint duo vaſa quorum vnum ſit album,al-
terumvero nigrum,& in albo mittantur fabæ,per quas propo-
ſitio talis negotij approbari,vel reprobari debeat, & faba,quæ
remanſerit in manu votantis in vas nigrum mittetur, & per fa-
bam albam negotium approbatur , per nigram vero èecontra,
vnuſquiſque autem det votum ſuum ſecretè. Quod ſi poſtea
in vaſe albo plures albæ fabæ reperiantur, iuxta eorum nume-
rum propoſitio iudicari debet approbata per Capitulum,& è-
conuerſo ſi plures nigræ,reprobata manet,ſeruatis aliàs noſtris
Conſtitutionibus circa numerum votorum pro modo,& qua-
litate negotiorum,vt id remaneat approbatum,proquo fuerint
illa vota , quæ in Conſtitutionibus ad approbationem requi-
runtur,& ea quæ taliter fuerint approbata , ſcribantur in libro
Capituli generalis ad hoc deputato cum relatione approba-
tionis,& ſubſcribantur à Vicario generali, & à Capitularibus,
& à toto Diffinitorio,& hoc modo propoſitio probata habe-
bitur ac ſi in rem iudicatam tranſijſſet, reprobatæ vero propo-
ſitiones nullibi ſcribantur.

De forma celebrandi Capitulum Generale. Cap. VI.

1 IN die inchoationis Capituli generalis in quolibet Conuentu
noſtræ Congregationis valdè manè Miſſa de Spiritu Sancto

celebretur,

celebretur,& ibi orent fratres, vt dictum Capitulum proſperè
celebretur,quo durante aliqua die Miſſa pro defunctis ſolem-
niter dicatur pro animabus fratrum, benefactorum , & haben-
tium literas fraternitatis. Pro quibus etiam ſinguli in ſuis pri-
uatis miſsis orabunt , idemq; fiet in inchoatione Capituli ge-
neraliſsimi,& eo durante. Cum dies aſsignata à Capitulo ve-
nerit,abſentibus amplius non expectatis Miſſa de Spiritu San-
cto celebrata , ſeruatis q; cæremonijs in ordinario præceptis
ante omnia fiat ſcrutinium vocalium Capituli, vt illi ſolū, qui
legitimè acceſſerint,admittantur. Quare examinatis literis So-
ciorum omnes Gremiales à Præſidente interrogentur , ſi in ali-
quo eorum ſciant aliquod impedimentum , propter quod non
debeat habere vocem,& locum,quod ſi reperiatur iuridicè, &
ſufficienter probatum, ſtatim eijciatur ante quam vltra proce-
datur. Poſtea fiet electio Vicarij generalis , & Diffinitorū ſub
forma inferius dicenda, & hoc finito fiat proceſsio ſolemniter,
& ducant fratres Vicarium generalem electum in Eccleſiā cā-
tantes,Te Deum laudamus, & cætera quæ in Ordinario dicū-
tur,ibique omnes obedientiam illi præſtent , & ipſe de cætero
ſit diligens,& intentus cum Dei timore ad regimen Ordinis,&
2 morum reformationem. Poſt Vicarij generalis, & nouam Dif-
finitorum electionem, Vicarius,Diffinitores , & Prouinciales
præcedentes viſitentur à Vicario,& Diffinitorib⁹ nouiter ele-
3 ctis. Quod ſi in tali Capitulo Vicarius non ſit eligendus quia
videlicet pro alio trienio remanere debeat , tunc Vicarius ge-
neralis viſitetur per nouum Diffinitorium tanquam ſuperius,
cui Diffinitorio præſideat primus Diffinitor,vel ſecundus ab-
ſente primo,idemque Vicarius,& Diffinitores viſitent præce-
4 dentes Diffinitores,& Prouinciales. In his Viſitationibus fiat
formale præceptum,quo mandetur in virtute Spiritus Sancti,
ſanctæ Obedientiæ,& ſub præcepto omnibus, & ſingulis gre-
mialibus, quod ſi aliquid habeant aduertendum circa Vicariū
generalem,Diffinitores,ac Prouinciales,qui proximè præceſſe-
runt,tàm de eorum moribus , quàm de obſeruantia Conſtitu-
tionum, aut quod alijs non obſeruare permiſerint , vel quod
non obſeruentur diſsimulauerint,intra duos primos ſequentes
dies ſecretè deponant,quorum culpæ, ſi opus fuerit , in Diffi-
5 nitorio decidantur ſecundum noſtras Conſtitutiones. Si vero
Vicarius

Vicarius generalis pro qualitate culparũ iudicio maioris partis
Diffinitorij, vel ſuſpendi debeat, vel (quod Deus auertat) offi-
cio priuari, tunc inter omnes gremiales ex eiſdem Capitulari-
bus alij ſex eligantur ad hoc negotium, excluſo Vicario gene-
rali, à Capitulo, & electione, & Præſidente primo Diffinitore
iuxta eandem formam, qua fuerunt electi noui Diffinitores, &
ab omnibus Vicarij generalis culpæ decidantur, & concurren-
tibus duabus ex tribus partibus ex illis poterit in eum ſuſpen-
ſionis, vel depoſitionis ſententia pronunciari, quæ tamẽ ſi fue-
6 rit ſuſpenſionis ad tempus præſideat interim in Capitulo, &
regimine Congregationis primus Diffinitor, & eo deficiente
7 ſecundus, & ſic ſucceſsiuè. Si verò Vicarius generalis officio
priuetur, prius quàm intimetur illi, primus Diffinitor vocatis
gremialibus, & abſente generali Vicario faciat publicari ſentẽ-
tiam in Capitulo, & immediatè præcipiat, quod fiat electio no-
ui Vicarij generalis, cui taliter electo ſtatim præſtetur obediẽ-
tia per omnes, ſeu in eius abſentia dicto Diffinitori pro eo, &
poſtea vocato Vicario, qui fuit abſolutus oſtendatur illi ſentẽ-
tia, qui ſimiliter, vt alij præfato electo præſtet obedientiam. Si
8 autem contigerit, quod Vicario generali ſint imponẽda aliqua
ieiunia, ſeu ſimiles pœnæ, dabuntur eidem per Præſidentem in
ſolo Diffinitorio ſedentibus omnibus. Quod ſi meruerit cor-
rectionem, ea de verbo ad verbum in Diffinitorio ordinata, &
ſcripta dabitur coram omnibus in Capitulo generali per primũ
Diffinitorem, per ſecundum abſente primo, qui ſedeat, & Vi-
carius generalis pro illa ſuſcipienda ſit genuflexus, cæteri ve-
9 ro omnes ſtare debeant. Deinde determinentur omnia negotia
10 quouis modo Capitulo generali reſeruata. Ad Capitulum ge-
nerale pertinet diuidere, & fũdare Prouincias, nouas edere, vel
reuocare Conſtitutiones, & determinare negotia ipſi à Diffi-
nitorio reſeruata, poſt quorum reſeruationem Diffinitorium
amplius de ipſis cognoſcere non poterit, ſub pœna vſurpantiũ
Maiorum officia. Præterea electiones, tàm Vicarij generalis,
quàm Diffinitorum, Prouincialium, Priorum, & ſi quæ aliæ in
Capitulo offerantur. Quotieſcunq; Vicarius generalis per ſe,
vel alium fecerit aliquid Religioni valde nociuum, aut aliquod
enorme delictum commiſerit, aut contra noſtræ Congregatio-
nis priuilegia aliquod breue Apoſtolicũ impetrauerit, ſeu quo-

uis

uis quæſito colore animos Religioſorum ad hoc reddiderit inquietos,aut tali Breui, & Priuilegio fuerit vſus abſq; eo,quod per Diffinitores intelligatur, vt ad Sanctiſsimum Dominũ noſtrum Papam recurratur, & quod magis expedierit preuideat antiquior Diffinitor coram alijs quinque Diffinitoribus, cauſam,ſeu cauſas proponat abſente Vicario, & concurrentibus quinq; ex prædictis ſex Diffinitoribus poterit conuocare generale Capitulum, & mittere ſuas literas vocatorias ſubſcriptas ad minus per dictos quinq; Conſiliarios, quibus vocatorijs omnes obediant,& ad generale Capitulum congregabuntur, & ibi tantum ea negotia ſuper quibus fuit taliter congregatũ diſcutientur,& cognoſcentur, etiam ſi Vicarius generalis ignoret, aut è conuerſo ſciens contra dixerit. Quod ſi Vicarius generalis ante ſexennium finitum è vita migrauerit,ſtatim non expectato tempore,nec die ſtatutis, generale Capitulum conuocetur,& in eo nouus Vicarius ſequenti ſexennio eligatur. Quod ſimiliter fiet vbicunq; vrgens neceſsitas fuerit arbitrio Diffinitorij conuocari generale Capitulum etiam intra triennium, nec in eo fieri poterit alicuius officialis mutatio,tàm Diffinitorum,quàm Prouincialium, & Priorum niſi ſuper hoc fuerit cõuocatum. Et ſi Vicarius generalis fuerit abſens, intimabitur illi cauſa,ob quam huiuſmodi conuocatio Capituli facta fuit, & abſq; eo ſine ſuo beneplacito nullo modo conuocabitur.

De Conſtitutionibus.
*Cap. V*II.

1 IN Capitulo generali debent ſieri Conſtitutiones, quarũ duę ſunt ſpecies,altera eſt earum, quæ retento nomine, Conſtitutiones vocatur,quæ ſunt leges perpetuæ, in quibus baſis, & fundamentum noſtræ Religionis conſiſtit, alias autem vulgo (vocamus acta) quæ ſunt ordinationes factæ per Diffinitorium in Capitulo,vel extra.
2 Ordinamus ergo quo ad faciendã nouam Conſtitutionem, ſeu aliquam nouam de nouo reuocãdam,vel de nouo annullandam concurrant, ad minus tres ex quatuor partibus eorum omnium, qui votum habent in Capitulo generali, & ne dubitetur ſuper hac quarta parte, quando

æqualis

æqualis diuiſio fieri non poſsit, declaramus, quod ſi interfue-
rin decem, aut vndecim vocales,quarta pars conſiſtit in duobꝰ.
Conſtitutiones vero, quæ hoc modo approbabuntur, ſcriben-
tur in libro noſtræ Congregationis cum teſtimonio approba-
3 tionis & ſubſcriptione Patrum Diffinitorij. Aliæ Conſtitutio-
nes,(quæ acta nũcupãtur)fieri debeant cõcurrente maiori par-
4 te Diffinitorij,quas eodẽ modo reuocare licebit,& ſuper eiſdẽ
diſpenſare,prout viderint cõuenire,ſi tamẽ directè,vel indire-
ctè fuerint contra Conſtitutionẽ aliquam,ipſo facto ſint nulla,
& acta huiuſmodi vim Conſtitutionis non acquirant , etiam ſi
5 per multa Capitula tranſierint. Illa vero acta, quę facta fuerint
in Capitulis Prouincialibus,& in his mandata donec confirmẽ
6 tur à Vicario generali,& Diffinitorio non ſeruentur. Durent
ab vno Capitulo in aliud,& ſi in illo reuocentur, & reuocatio
confirmata ſit à Diffinitorio generali,expirent. In primis autẽ
declaramus,omnes in vniuerſum Cõſtitutiones,& acta,& Su-
periorum præcepta,& mandata etiam ſi verbis præceptiuis, &
ſub pœna qualibet, excepta excommunicationis latæ ſentẽtiæ
præcipiãtur,nullo modo ad culpam mortalis, ſeu venialis pec-
cati obligare,ſed tantum ad pœnam à Prælato infligendam,ni-
ſi interueniat contemptus, aut præceptũ fiat in ſcriptis in vir-
tute Spiritus Sancti, ſanctæ obedientiæ , & ſub præcepto, vel
aliàs id quod prohibetur,aut mandatur,ex natura ſua,ſeu pro-
pter leges Eccleſiaſticas peccatũ ſit,ab his excipitur pręceptũ,
quod à Viſitatoribus in principio ſuæ viſitationis ponitur,
quod volumus obligare etiam ſine ſcripto,vbi vero ſub prędi-
cta forma præceptum fiat,ad peccatum mortale obligat ex na-
7 tura ſua,ſed huiuſmodi præcepta de rarò oportet fieri , ne ani-
mabus laqueus inijciatur ex multitudine præceptorum. Con-
ſtitutiones etiam inuiolabiliter obſeruentur, ſuper quo diſtri-
ctè conſcientias Vicarij generalis, Diffinitorum, Prouincialiũ
Priorum,& aliorum quorumcunq; Superiorum oneramus , vt
eas,& obſeruent,& obſeruari faciant,quod ſi hac parte notabi-
liter culpabiles inueniantur,in Capitulo generali, ſeu Prouin-
8 ciali puniantur vſque ad priuationẽ officiorum incluſiuè , pro
modo , & qualitate culparum. Item ordinamus , quod ſuper
Conſtitutionibus,quæ pertinent ad reformationem morum in
aliquo caſu raro,& graui in quo ęquitas ſuadeat,poterit Vica-

rius generalis cum Diffinitorio, & Capitulo illud facere omnibus Diffinitoribus,& vocalibus ad hoc ſpecialiter vocatis,& congregatis nemine dempto, & illis concurrẽtibus poſsit diſpenſari, & aliter quã vt præfertur in Bulla confirmatoria, diſpenſatio ſit nulla.

De electionibus. *Cap.* *V*III.

1 ELectiones in Capitulo generali fiant per ſchedulas ſecretas ab omnibus gremialibus, quibus in virtute ſãctæ Obebiẽtiæ,Spiritus Sancti, & ſub præcepto mandamus, quod nemo eorum det ſcienter votum ſuum illis,ſeu illi, qui voce priuati ſint.
2 In nulla electione interſint Nouitij,Laici,loco,& voce carentes,aut qui ab Ordine apoſtatauerũt,licet ſit eis datus locus, neque excommunicati, neque irregulares, neque etiam alij,qui in ſacris non exiſtunt, & à ſua profeſsione vnum annũ expleuerint,nulli etiam fratres deliri,vel lunatici.
3 Item nullus qui à correctione regulari appellauerit, vel qui appellanti cõſenſerit,aut qui appellationem defenderit, quouſq; per Capitulum,vbi tales electiones faciendæ ſunt, per tres annos poſt fuerit cum eo miſericorditer diſpenſatum,& ſimili modo nullus frater in eadem Prouincia mutatus de Conuentu in Conuentum per quemcunq; Maiorem,donec conſtet,an ſit habilis actiuè,vel paſsiuè.
4 Nec Vicarius generalis,nec alius habeat ius
5 nominãdi perſonas,ſeu perſonam ad electiones. De ordine ve-
6 ro Diffinitorij poterunt aliqui ad memoriam fratrum reduci, quando non ſunt concordes; nihilominus ſemper manebit libera facultas gremialibus quem maluerint eligendi. Electio canonica,tãm Vicarij generalis,quàm aliorum quorumcunq;officialium erit,quando aliquis habuerit pro ſe plura vota,quàm alij omnes ſimul,quod eſt habere vltra mediam partem omniũ votorum,quod ſi ſemel atq; iterum non concordauerint inter ſe gremiales,qui tertia vice plura vota habuerit, is intelligatur
7 canonicè electus. Quod ſi tunc etiam fuerint duo, vel tres pa-
8 res,ſeu æquales in votis,antiquior in profeſsione noſtræ Religionis remanebit electus. Huiuſmodi autem vota per Vicariũ generalem,& Diffinitores regulentur, & pariter omnes con-

trouerſiæ ſuper electionibus decidantur. Et quia pro regulan-
da , & decidenda electionè Vicarij generalis neceſſarium eſt ,
quod omnes ſeptem aſsiſtant, ſi contingat aliquem ex illis per
mortem,ſeu alia quauis cauſa abeſſe, tunc alij in eorum locum,
qui fuerint abſentes,vt omnes ſeptem aſsiſtant ad regulationē,
& controuerſias ſuper his decidēdas eligātur ab omnibus gre-
9 mialibus,quorum electio ſolum ad hunc effectum inſeruiat,&
habebunt vltimum locum in Diffinitorio,quod ſi viſum fuerit
eligentibus,quod aliquis ex Diffinitoribus(pręter primum,&
ſecundum,quos ſemel electos mutare non licet)exercebit me-
lius officium Prouincialatus, poterunt reliqui Diffinitores in
10 Prouinciales eligi, eorum tamen Diffinitorum officia vaca-
bunt , & alter , ſeu alij Diffinitores in loco eorum eligentur,
11 qui taliter electi vltimum in Diffinitorio locum habebunt.
Item nullo modo fiant relectiones iuxta literas præfati Gre-
gorij.xiiij,& Vicarius Generalis non niſi peracto ſexennio ad
officium illud reeligi poterit , nec Diffinitor in Diffinitorem
reaſſumi niſi poſt triennium, ſed benè in alia officia diſsimilia
12 eiuſdem ordinis. Quod ſi per obitum Vicarij generalis, aut a-
liter iuxta literas Apoſtolicas,& noſtras Coſtitutiones aliquis
ex Diffinitoribus aliquo tempore Præſidens fuerit,hoc etiam
non impediat,quin poſsit eligi in Vicarium generalem in ge-
13 nerali Capitulo ſequenti. In electionibꝰ ſeruetur is ordo,quod
in principio Capituli fiant electiones Vicarij generalis , & ſex
Diffinitorum , & reliqua in fine illius poſt alia negotia , vt
dictum eſt,incipiendo à Prouincialibus , poſt quos immediatè
eligatur aliquis Diffinitor, ſi vel per obitum , vel quia aliquis
fuerit in Prouincialem electus,aut ex alia cauſa alter ſit eligen-
dus,& ſucceſsiuè Priores Conuentuum, & Collegiorum , qui
ibi etiam eligendi ſunt, & quorum officiū duret ad trienniū,
illud tamen poſtea etiam exerceāt, donec nouus electus acceſ-
ſerit,aut aliter ordinauerit, vltimo loco eligentur Diffinitor,&
14 ſocij pro futuro Capitulo generaliſsimo totius ordinis. Ad of-
ficium Vicarij generalis nullo modo eligantur Religioſi ex a-
lijs Religionibus,nec ex Patribus noſtris dictis Mitigatis, qui
15 ad Religionem in poſterum acceſſerint,aliàs electio ſit nulla.
In ſuperioribus quibuſcunq; Prælatis eligendis , principaliter
inſpiciatur vita communis,& regularis puritas, & æqualitas,ac

eius inuiolabilis obſeruantia, vt is, qui ad Congregationem, & Prouincias, & Cõuentus reſpectiuè eligatur, ſit talis, cuius cõparatione ipſe ſolus Paſtor, & cœteri grex dicantur, faciliuſq; & perfectius ex Capitis ſplendore ad ſuſceptũ certamen mẽbra prouocentur: propterea eorum conſcientias ad diem Domini oneramus, vt ſint reliquis regularis obſeruantiæ exemplar, & in victu, veſtitu, cellulis; lectulis, Conuentibus; itinere, & in omnibus alijs ad regularem vitam pertinentibus vitam agant omnibus communem, & æqualem iuxta noſtras Conſti-
16 tutiones. Quapropter, vt ex tota noſtra Congregatione probatiores, & meliores Religioſi eligantur, poterit electio tàm Vicarij generalis, quàm aliorum quorumcunq; officialium ita de abſentibus, ſicut de præſentibus in Capitulo fieri, & in locum abſentis, ſi electus fuerit Diffinitor, ſurrogabitur alter, qui vices eius ſuppleat donec veniat, & is etiam poterit eſſe ex præcedentibus Diffinitoribus. Item ſemel expulſus à noſtra Cõgregatione, ſi iterum admittatur, non poterit poſtea eligi in
17 Vicarium generalem Diffinitorem, neque Prouincialem, ſed ad hæc perpetua maneat voce paſsiua priuatus. Qui ad minus
18 per ſex annos antea non fuerit Sacerdos, & in noſtra Congregatione profeſſus, ac ætatis ſuæ quadrageſimum non attigerit annum in Vicarium generalem non eligatur. Nec in Priorem, vel Collegij Rectorem, qui non fuerit in trigeſimo, & poſt tres Sacerdotij, & profeſsionis annos, ac qui nunquã ab ordine apo-
19 ſtatauerint, niſi cũ illis fuerit diſpenſatum. Item vehementer ſuſpectus de peccato contra honeſtatem non eſt eligendus ad
20 aliquod officium, nec electus in eo confirmãdus. Item illi, qui in aliquo Collegio noſtræ Congregationis fuerit actualiter in ſtudio non poterit eligi in Priorem, Rectorem, Vicerectorem, neque Suppriorem, aut Vicarium alicuius Cõuentus, vel Collegij, nec aliterq; poſt annum completum à die, quo exiuit à
21 Collegio: licebit tamẽ Vicario generali, & Diffinitorib⁹ ad hoc cũ illo vt viderint, diſpenſare. Qui propter aliquã infirmitatem non potuerit omitere comedere carnes, nec ſequi chorum, eo ipſo ſit inhabilis ad officium Vicarij generalis, Diffinitoris,
22 Prouincialis, Prioris, Vicerectoris, vel Supprioris. Et electi, qui ſucceſſu temporis non potuerint ſequi chorum, Capitulũ, vel Refectoriũ propter prædicta, vel aliàs de facto omiſerint,
deponan-

deponantur ab officio. Quod ſi per triennium vacauerit ali-
23 quod officium tunc reſpectiuè Prior reeligi in Prouincialem,
Prouincialis vero in Diffinitorem poterit, eorum tamen pri-
24 ma officia vacabunt. Licebit in Diffinitorio cuilibet commit-
tere viſitationem, aut fundationem alicuius Conuentus, ſeu
Conuentuum, aut alia ſimilia, & propter hæc priora officia
25 non vacabunt. Item nullus audeat in quacunq; electione ha-
bentem vocem ſubornare, inducere prece, vel prætio, ſiue mi-
nis, aut quacunq; alia violentia, neque quocũq; alio modo di-
rectè, vel indirectè, vt tali, vel tali det vocem ſuam, vel nõ det
ſub pœna priuationis vocis per duos annos integros indiſpen-
ſabiliter, & ſub eadem pœna præcipimus Vicario generali, ac
omnibus, & ſingulis fratribus noſtræ Congregationis, vt nul-
lus cum alio, vel alijs tractet, aut conferat, neque conſulendo,
neq; ſimpliciter communicando quiſnam debeat eligi in Vi-
carium generalem, vel ad aliud quodcunq; officium, neq; tem-
pore inſtantis electionis, neq; antea: declaramus autem quod
ſiquis per modum conſilij velit ab aliquo fratre ſcire, aut cog-
noſcere qualitates, vel talentum alicuius, vel aliquorum fratrũ
noſtrę Congregationis, poſsit interrogare quod voluerit, &
interrogationibus reſpondere ſecundũ dictamen ſuę conſciẽtię
præciſe ad qualitates interrogatas, nihil dicẽdo de electionibꝰ,
& neuter pro hoc incurrat in aliquam pœnam, nullus tamen
poterit alteri præbere conſiliũ ſuper his, niſi interrogatus ſub
26 pœna prædicta. Item nullus frater poteſt habere plures voces
actiuas, non obſtante quod ex pluribus cauſis habeat vocem.
27 Item nullus in noſtra Congregatione poſsit eligi ad duo offi-
28 cia, ita quod ſimul habeat illa. Item ſtatim poſt electiones vbi-
cunq; ſiue in Capitulo, ſiue extra fiant, is, qui præſidet, præci-
piat illis, qui elegerunt, in virtute Spiritus Sancti, ſanctę obe-
dientiæ, & ſub præcepto, quod infrà diem naturalem viginti
quatuor horarum deponant ſecreto coram eo, ſi taliter electi,
vel electæ aliquid habeant contra vitam communẽ, & ęqualẽ,
vel eam omiſerint, aut omittant ex quouis titulo, & cauſa, &
circa hæc, & mores facto ſcrutinio. Electiones legitimæ factæ
approbabuntur, & confirmabuntur per fabas albas in Diffini-
torio, quæ per nigras reprobantur, in ijs vero vltra reproba-
tionem, & excluſionem pro qualitate culparum procedatur
iuxta

iuxta noſtras Conſtitutiones,& fiet electio de alijs, confirma-
29 tio autem Vicarij generalis ad Patrem noſtrum Generaliſsimũ
30 eſt remittenda ſecundum literas Sanctiſsimi Sixti. V. Item ſi
de electione Vicarij generalis controuerſia oriatur (quod Deꝰ
auertat) Vicarius generalis,& Diffinitores, quorum officia cũ
Capitulo terminantur, & ad quos vota regulare pertinet, te-
neantur eam omnino decidere in Diffinitorio pro maiori parte
infra diem naturalem,quorum reſolutioni nemo cõtradicat ſub
pœna priuationis officij,vocis,& loci per decẽ annos , irremi-
31 ſibiliter ipſo facto incurrenda. Item his præmiſsis præſidens
faciat electionem ſub hac forma,Ego F. N. nomine meo, & a-
liorum mecum in hac nominatione, & cum publicatione nu-
meri vocum in talem fratrem concordantium dico, & enuntio
illum eſſe Vicarium generalem noſtræ Congregationis in quẽ
tot conſenſerunt,in nomine Patris,& Filij, & Spiritus Sancti.
32 Item ſtatuimus,quod facta electione Vicarij generalis ſcriba-
tur à Diffinitoribus cum ſubſcriptione omnium , ac etiam Se-
cretarij Diffinitorij,& ſigillo Religionis ad Reuerendiſsimum
Patrem noſtrũ Priorem generalẽ totius Ordinis pro confirma-
tione prædicti Vicarij ſub tenore ſequenti.

Forma Epiſtolæ ad Reuerendiſsimum generalem pro confirmatione Vicarij Generalis.

33 REuerendiſsime Pater Vicarius generalis, Diffinitores, &
Gremiales generalis Capituli Carmelitarũ Scalciatorum,
V.P.R. certiorem facimus, qualiter legitimè congregati
in Capitulo tali loco, die, menſe,& anno, præſentibus ibidem
tot eligentibus,& nemine indebitè excluſo,vel admiſſo ad ele-
ctionem Vicarij generalis noſtræ Congregationis.P.F.N. fuit
canonicè iuxta noſtras Conſtitutiones electus, & vt talis illius
electio fuit admiſſa , & declarata per noſtrum Diffinitorium.
Qua propter.V.P.R. Supplicamus, vt eam iuxta literas Apo-
ſtolicas.fe.re. Sixti.V.ſub dat. die.x. Iulij M.D.LXXXVII.
Pontificatus ſui anno.iij. confirmare dignetur. Poſt electionẽ

34 Vicarij generalis idem de nouo electus, & etiam in Capitulo intermedio, vbi non eligitur, is qui præſidet ſtatim in primo Capitulo abſq; vlla moræ interpoſitione faciat quòd immediatè fiat electio ſex Diffinitorum, qui eligentur ex tota Congregatione, & remanebunt ipſo facto Diffinitores Conſiliarij, tàm pro Capitulo, quàm pro futuro triennio pro regimine Cógregationis in Diffinitorio.

De Capitulo Prouinciali. Cap IX.

1 Capitulum Prouinciale fiat infra decimum octauum mēſem, poſt Capitulum generale die, & loco per Diffinitorium Congregationis ordinandis. Habeant vocē, & locū in eo R.P. Vicarius generalis, ſi adeſſe velit, & Prouincialis illius Prouinciæ, vel qui in eius abſentia à Vicario generali, & Diffinitorio fuerit ad hoc deputatus. Item Vicarius electus in Cuſtodem Prouinciæ quando cuſtodierit Prouinciam, etiam ſi Prouincialis non acceſsiſſet ad generale Capitulum. Itē Socij, qui fuerunt in præcedenti Capitulo electi ad Capitulū generaliſsimum, quanuis impediti non interfuiſſent, dummodo oſtendant impedimentum legitimum, ob quod non valuerunt intereſſe, de quo diſcernere habet idem Capitulum Prouinciale. Item Diffinitores Capituli præcedentis, & ſi aliquis eorum fuerit gremialis alterius Prouinciæ, aut per obitum, ſeu aliā cauſam non venerit ad Capitulū ſuccedet in eius locum Prior antiquioris Domus, & ſucceſsiuè alij, & habeat vltimum locum. Item Priores, Rectores, & Vicarij Conuentuum Prouinciæ, & Supprior Conuentus conſultæ, ac eorum ſinguli Socij ab eiſdem Conuentibus electi ſub forma infra dicenda. Declaramus autem, quod ſi in aliquibus domibꝰ noſtris ſunt aliqui ſub nomine Prioris conſtituti, qui numerum quaternarium vocalium excedentes fratris non habean, ttales non habent vocem, & locum in Capitulis Prouincialibus, neque Prouincialis conſentientibus etiam gremialibus omnibus poterit eis vocem, & lo-
2 cum dare, & aliter totum ſit irritum, & inane. Conuentus etiā qui nunc ſuat, & deinceps recepti fuerint habeant antiquitatē

ſecundum

ſecundum prioritatem temporis,quo recipiuntur,& volumus, quod Priores Conuentuum prædictorum, & Rectores Collegiorum habeant locum,& vocem in Capitulo Prouinciali, ſecundum antiquitatem Conuentuum, quorum ſunt Priores, &
3 Collegiorum,quorum ſunt Rectores. Socij vero Conuentuū taliter eligendi ſunt, quod antequam Prior accedat ad Capitulum Prouinciale,conuocatis omnibus fratribus, qui Conuētuali Capitulo debent intereſſe,primo culpæ per Priorem,aut Præſidentem audiantur,deinde expulſis non habentibus vocē, fiat electio Socij ituri ad Capitulum Prouinciale, inqua nullus frater mutatus de aliquo Cōuentu poſt electionem Socij Prioris in ipſo Conuentu factam, habeat vocem in Conuentu, ad quem mutatur, in electione Socij prædicti, & in hac electione habens primam vocem poſt Priorem in præſentia Prioris vota fratrum accipiat,quæ dentur in ſchedulis, vbi ſcribatur nomē electi,& ſchedulæ mittantur in capſam, vel vas ad hoc præparatum,& fiat de illis ſcrutinium. In qua electione Prior nō habet vocem, & qui habet plures voces, quam omnes alij ſimul iuncti, eo ipſo Socius habeatur, & ſi contingat, electores non concordare,tertia vice,qui plures habuerit,quam aliquis alius, ſit Socius,& ſi plures habuerint voces æquales, ille ſit Socius, qui eſt antiquior in Ordine, & ſi Supprior eligatur in Socium Prioris,vel ſi Conuentus non habuerit Suppriorem, ſimili electione,qua eligendus eſt Socius eligatur Vicarius ad cuſtodiā, & regimen Conuentus. Si tamen contingat Priorem remanere
4 infirmitatis,vel alterius neceſsitatis cauſa,nullus præter eū habeat curam regiminis, nihil tamē ab electione Socij valeat,aut præſumat innouare,vel immutare. Item nullus Socius ſit gre-
9 mialis in Capitulo Prouinciali, niſi à ſua profeſsione impleuerit tres annos in Ordine. Socius etiam Prioris de electione ſua li-
5 teras habeat ſub ſigillo communi Conuentus numerum eligētium,& nomina,& ſimiliter electorum,& à quibus eſt electus, & fiant literæ ſecundum formam literarum Sociorum Prouincialiū ad Capitulum generale de quibus infra. Socij, autē pro-
7 pter bonum pacis nullum faciant ſcrutinium. Statuimus,quod quilibet Prior Conuentualis portet ſecum ſub ſigillo Conuētus ſciente Socio ſtatum Domus, ſcilicet rerū Sacriſtiæ, librariȩ,reddituum,& facultatum quantitatem,& numerum,& breuiter

uiter omnium rerum notabilium Conuentus, & quæ poſt Capitulum Prouinciale fuerunt, perditæ, venditæ, vel alienatæ quouis modo, & debita omnia, & præſententur illa in Diffini-
8 torio Capituli Prouincialis primo die Capituli, vbi aperiantur, & examinentur. Quod ſi per negligentiam hoc inuentariũ nõ attulerit, puniatur pœna grauis culpæ per quatuor dies. Et faciant Præſidentes, & Diffinitores omnia illa inuentaria ſimul ſcribi, & Prouincialis illa ſecũ deferat in viſitatione, & Prioribus quibuſlibet reſtituat ſcriptum ſuum. In die inchoationis Capituli Prouincialis in quolibet Conuentu Prouinciæ ſeruẽtur ea, quæ dicta ſunt, ſub titulo de Capitulo generali, videlicet in die inchoationis Capituli reſpectiuè ad Conuentus Prouinciæ. Et quãdo dies aſsignata venerit, ſeruetur forma, de qua ſupra in titulo de Capitulo generali, verſiculo, cũ dies aſsignata etcętera, & quo ad ſcrutiniũ, illud, de quo ibi, circa Priores, poterit ſciri per teſtimonium Prouincialis, circa Socios verò, per
9 teſtimonium Supprioris. Sit liber cõmunis Prouinciæ, in quo ſcribantur acta Capitulorũ Prouincialium cum ſubſcriptionibus Prouincialis, & conuentualitates omnium fratrum. Qui li-
10 ber habeatur clauſus, & ſigillatus, & cuſtodiatur in Conuentu, vbi celebrandum eſt Capitulum. Deinde auditis culpis Priorũ, Vocaliumq;, eiectis eijciendis procedatur ante omnia ad electionem Diffinitorum citiſsimè. Quilibet autem gremialis eligat quatuor fratres ex his, qui non fuerint in vltimo Capitulo Diffinitores, ſcribendo eorum nomina in quatuor ſchedulis, & mittendo illas in aliquam capſam, & electio fiat per vota ſecreta ſecundum formam Concilij Tridentini. Nullus poſsit eligi in Diffinitorem, niſi ſit adeptus ordinem Sacerdotalem, & ſit ex fratribus illius Prouinciæ, vel ſit gremialis, vel ſaltim ex ſenioribus præſentibus in Conuẽtu, vbi Capitulum celebratur.
11 Videatur etiam diligenter caput de electionibus in communi, ne aliquis error in ſpeciali contingere poſsit, & in eodem loco, antequam diſcedant, ad inuicem electionem publicent, & qui plures voces in electione habuerit, erit primus Diffinitor, qui verò plures poſt illum erit ſecundus, & ſic de alijs. Si autem plures æquales voces habuerint teneant locum,
12 quem habent ſecundum antiquitatem Ordinis. In Capitulo Prouinciali eligendus eſt Socius iturus ad Capitulum generale

noſtræ Congregationis, in cuius electione non habet vocem Vicarius generalis, ſi forſan adſit, neq; etiã Prior Prouincialis, & eligatur ex fratribus eiuſdem Prouinciæ, & qui aliàs in ea fuerit Prior, neq; eligi poterit ille, qui fuit electus Socius pro Capitulo generali immediatè præcedenti, licet non acceſſerit. In electione Socij quo ad vota, per omnia ſeruentur, quæ dicta ſunt in titulo de electione, & ea recipiat primus Diffinitor in præſentia Prouincialis, & ſecundi Diffinitoris, vel Vicarij generalis (ſi fuerit præſens) & dentur ei literæ teſtimoniales de electione ſua, & ſuper conſtituendis, innouandis, & agẽdis in Capitulo generali habeat poteſtatẽ, ac ſi omnes fratres Prouinciæ adeſſent præſentes, dummodo nihil poſsit facere contra literas Apoſtolicas pro erectione huius noſtræ Congregationis, neq; contra has Conſtitutiones noſtras, & fiant literæ in forma ſequenti.

Literæ Sociorum, qui ſunt ad Capitulum Generale.

13 REuerendis in Chriſto Patribus Vicario generali, & Diffinitoribus Capituli generalis anno tali, & die tali, in tali feſto, in tali Conuentu celebrandi, Ordinis Beatæ Dei genitricis Mariæ de Monte Carmeli ſui humiles filij, & ſubiecti Diffinitores, & cęteri fratres de gremio Capituli Prouincialis Prouinciæ talis, in Conuentu tali eiuſdem Ordinis, in feſto tali, anno tali, & die tali celebrati, obedientiam debitam, & Sancti Spiritus conſilium in agendis. Venerandæ diſcretioni veſtræ pateat euidenter, quòd cum nos in dicto loco, & tempore pro prædicto Capitulo noſtro celebrando ad electionem Socij noſtri Prioris Prouincialis ituri ad Capitulum generale ſupradictum, & Diffinitores Capituli prædicti procederemus, & eſſemus tot eligentes nemine indebitè excluſo, vel admiſſo, frater talis pro Socio tot voces habuit, per quas legitimè fuit electus, cui ſic electo damus licentiam, & authoritatem noſtrã, atq; poſſe eligendi, conſtituendi, amouendi, definiẽdi, ac omnia alia agendi pro nobis in dicto Capitulo generali, quæ facere poſſemus, ſi omnes præſentes eſſemus, ratum, & gratũ ha-

bentes quidquid factum fuerit per eoſdem: Dummodo nihil poſsit fieri cõtra diſpoſitionem literarum Apoſtolicarum pro erectione,& ſeparatione huius noſtræ Congregationis, neque contra noſtras Conſtitutiones. Dat. & actum loco,& tempore,quibus ſupra. In quorum teſtimonium ſigillum commune noſtræ Prouinciæ præſentibus eſt à tergo impreſſum. Socius etiam Prouincialis iturus ad Capitulum generale portet ſecum literas omnes,quas Religioſi Prouinciæ ſcribere voluerint ſu-
14 per illis,quæ magis expedire bono regimini fratrum, Conuentuum,& Prouinciarũ vniuerſę Congregationis ſibi viſum fuerit, & ibi etiam dicantur de eo, quem ſufficientẽ iudicauerint ad officium Prioris,& Prouincialis,ſimiliter poterunt ſcribere culpas, aut querelas,quas habuerint contra Prouincialẽ, Priorem,& alium quemcunq;, vt in Capitulo legitimè valeat procedi,& ſub pœna prouationis vocis, loci, & officij ipſo facto mandamus,quòd nullus audeat aperire literas,nec quouis modo impedire,quin ad Capitulum generale, ſeu Diffinitoriũ li-
15 berè ſcribantur,& deferantur. Eligentur etiã in Capitulo Prouinciali ex gremialibus Prouinciæ Socij, quando ituri ſunt ad Capitulum generaliſsimum totius Ordinis,ex quibus eligetur vnus in Diffinitorem, qui non fuerit electus, aut Diffinitor in Capitulo generali immediatè præcedenti, & dabuntur eidẽ literę teſtimoniales de electione ſub modo,& forma ſupradictis,
16 & generaliter officium Socij duret vſq; ad aliud Capitulũ Prouinciale,etiam ſi pluries contingat interim celebrari Capitulũ generale noſtræ Congregationis, & in omnibus Capitulis ge-
17 neralibus exercebit officium ſuum. In Capitulo Prouinciali fiat electio Suppriorum Conuentuum Prouinciæ,quam faciãt omnes gremiales illius Capituli; & Suppriores eligentur ex Conuentualibus eiuſdem Prouinciæ, quorum officia durẽt ad triennium, & donec ſucceſſores acceſſerint ad Conuentus, & cœperint exercere prædicta officia. Eorum electiones confirmabuntur per Diffinitorium eiuſdem Capituli Prouincialis.
18 Quod ſi aliquis ex Supprioribꝰ mortem obierit, aut ex aliqua cauſa alia infra triennium vacauerit Supprioratus, Prouincialis Prouinciæ,& Prior Conuentus,vbi vacat nominabũt Suppriorem,quem Prouincialis confirmabit. Quod ſi in nominatione non conuenerint,illud deducent ad R. P. Vicarium generalẽ,&

Diffinitores, à quibus eligetur. Fiant etiam in Capitulo Prouin-
ciali Conſtitutiones illæ, quas acta vocamus, de his, quæ magis
Prouinciæ conuenire videbitur, & antequam eas obſeruent,
mittent illas ad Vicarium generalem, & Diffinitoriū, à quibus
approbatę obſeruentur, & durēt vſq; ad alia acta alterius Pro-
10 uincialis Capituli illius Prouinciæ. Omnia deniq; diffinita in
Capitulo Prouinciali, debent in fine illius promulgari, & ea à
Socijs in ſcriptis cum ſubſcriptionibus Prouincialis, & Diffi-
nitorum portentur ad ſuos Conuentus, vt in Capitulo commu-
ni Conuentus omnibus intimentur, & in quolibet Cōuentu ſit
liber, vbi acta Capituli Prouincialis Prouinciæ ſcribantur.

De Capitulo Conuentuali.
Cap. X.

1 CApitulum Conuentuale, vbi culpę fratrum diligenter in-
quirantur, & charitatiuè corrigantur qualibet ſeptimana
per Priorem, aut Suppriorem, aut Vicarium ſemel ad-
minus teneatur: neq; in abſentia, aut infirmitate Prioris, omit-
tatur ſub pœna grauis culpę per tres dies, & ieiuno ſtomacho
ſemper celebretur, niſi in aliquo vrgenti caſu ſine diſpendio
differri nequeat. Modus autem in ipſo ſeruandus præſcribitur
2 in Ordinario. Declaramus autem quod culpæ, de quibus hic
agitur, debent eſſe cōmunes, & leues. Si enim fuerint aliæ cul-
pæ graues, Prælatus debet maturiori conſilio ſecundum ſuam
3 facultatem de ipſis cognoſcere. De huiuſmodi autem commu-
nib⁹ culpis ȩelator, qui ad hoc officium qualibet ſeptimana ex
Sacerdotibus, aut in ſacris exiſtentibus eſt deputandus) ex mā-
dato Præſidentis fratres delinquentes accuſabit ſimpliciter, &
ſine aliqua exageratione culpam proponendo, quod ſimiliter
facient reliqui vocales poſt ipſum. Nullus frater clamet cul-
4 pam fratris, quam iam confeſſus fuerit, & accuſans aliquem in
vno contextu omnia, de quibus accuſare intendit, proponat.
Accuſatus vero humiliter ſuſcipiens dicat cum accuſatus fue-
rit, mea culpa, & tunc proſternat ſe terram oſculans, donec iuſ-
ſus à Præſidente ſurgat tacens, genuflexuſq; maneat, & nihil
dicat niſi interrogatus à Præſidente. Tuncq; ſimpliciter ſine
conten-

contentione, & multiloquio proponat excuſationem ſuam, & Præſidens eo audito, vel imponat condignam pœnitētiam, vel
5 iubeat eum ſedere in loco ſuo. Siquis autem cum accuſatur, vel reprehenditur, impacienter, aut furibundè reſpondeat, grauius puniatur, aut ſecundum Præſidentis diſcretionem pœna gra-
6 uior ad tempus ſedatæ paſsionis differatur. Item nullus præſumat culpam ſuam, aut alterius in Capitulo, vel alibi defendere ſub pœna grauis culpæ per vnum diem. Et eſt in Capitulo ſeruandū diligenter, ne ad verba facilè prorumpant, niſi ſe, aut alios accuſando, vel niſi forte iuſsi à Præſidente, aut interrogati, neq; ad inuicem loqui præſumant, ſed ſoli Præſidenti. Quod ſi quis aliter loquatur pœnę grauis culpę ſubiaceat, & niſi poſt primam monitionem ſilentio ſibi impoſito ſilueret, expellatur de Capitulo, & illo die nō habeat vocem, & locum. Siquis ſe-
7 creta Capituli cuiuſcunq; quęcunq; illa ſint, quę Prælatus cęlanda commiſerit, ſœcularibus, aut alijs Religioſis reuelauerit, ipſo facto careat voce, & loco, & penſato ſcandalo, ſiuè damno inde contingente pœna grauioris culpæ rigidè puniatur. Or-
8 dinamus etiam, quod præter Capitula Cōuentualia vna quaq; nocte poſt cœnam, aut collationem manentibus fratribus in eodem Refectorio, hoſtiarius ſurgat, & referat eleæmoſynas illo die acceptas, vt omnes ſciant pro quibus orare debent, deinde ſurgat zelator, referat culpas leues ſingulorum fratrū, quas illa die nouerit in fratribus, vel ipſi fratres, ſi voluerint ſe accuſent de ſuis culpis, & tunc qui fuerit accuſatus à zelatore continuò ſe in terram proſtret, nihil dicens in ſuam defenſionē, neque indè ſurgat niſi facto ſigno: Præſidens autem eum, vel eos, qui proſtrati ſunt, breuiter reprehendat, & iniungat pœnitentiam ſecundum exigentiam culpæ, facto ſigno à Præſidente ſurgant.

De accuſatione, denunciatione, & inquiſitione. Cap. XI.

1 IN culpis verò maioris mométi per accuſationē, denūciationē, aut inquiſitionē iuxta earū exigētiā procedetur. Quicūq; alium accuſare voluerit, parem, vel ſuperiorem, faciat hoc extra

extra Capitulum, & audiatur patienter, dummodò ſe obliget ad pœnam Talionis ſi defecerit in probando, & de eo fiat iuſtitiæ complementum, ita quod ſimilem pœnam ſuſtineat accuſans, ſi in probatione defecerit, qualem deberet portare accuſatus ſi conuinceretur. Accuſationes quorumcunq; Superiorũ
2 ſiant in eorum abſentia, ſimiliter, & inquiſitiones de culpis notabilibus, & negatis, ſemper in eorum abſentia fieri habet. Caueant quoq; fratres, quod nullum accuſent ex ſola ſuſpitione, & ne ſub modo denunciationis factæ Prælato, tanquàm iudici nominent aliquem fratrem expreſsè. Quia ſi hæc fecerint, erũt obligati ad pœnam Talionis ſi defecerint in probatione, neq; dicant, ego credo illum feciſſe hoc, vel illud, aut conſenſiſſe facientibus, quia talis inſinuatio perſonarum, expreſsima accuſatio reputaretur, & obligat ad Talionem. Poterũt tamen in generali manifeſtare exceſſus factos, & monere maiorẽ, vt prouideat ſuæ domui, & inuigilet. Item laboranti famæ alicuius
3
4 in re notabili Superior quilibet, ad cuius notitiam venerit, habeat veritatem inquirere iuridicè eo modo, quo videbitur expedire, ſiue ad iuramentum præſtandum, ad quod omnes fratres volum⁹ aſtringi, aut alio modo in præſentia duorum, vel trium proborum fratrum, non obſtante abſentia diffamati, ſed nullomodo procedatur ad punitionem vſque quo appareat, ſi talis diffamatus ſe poterit excuſare legitimè coram illo Superiori, vel altero, cui vices ſuas commiſſerit ſuper hoc. Per nullũ tamen Præſidentem in ordine cogatur aliquis per incarceratio
5 nem, aut torturam violentam ad cognoſcendum, vel fatendum aliquod crimen ſibi, vel alteri impoſitum, neq; pro huiuſmodi puniatur niſi crimen fuerit euidens, aut ſufficienter probatum, vel niſi vehemens ſuſpitio habeatur. Quam ſuſpitionem Diffinitorium habet iudicare, vel vehementem, vel non vehementem: veruntamen Apoſtatas, criminoſos, defectuoſos, & incorrigibiles poterunt per indulgentiam Pij Papæ. j. Diffinitores Congregationis torqueri facere abſq; cuiuſcunq; cenſuræ in-
7 curſu. Ordinamus autem quod nomina teſtium nemini neq; reo reuelentur, niſi in aliquo grauiſsimo caſu de ſententia Diffinitorij Congregationis expediens iudicabitur. Poterit tamẽ reus, quos ſuſpectos habeat, & cauſas ſuſpitionis allegare.

De

De fundatione Prouinciarum, & Monaſteriorum, & paupertate in ipſis ſeruanda. Cap. XII.

IN Congregatione noſtra poſtquam fuit erecta per li-
teras Apoſtolicas, fuerunt ſimiliter erectę quinq; Pro-
uinciæ, quarum prima eſt ſub nomine S. Heliæ Patro-
ni noſtri, Secunda ſub nomine Spiritus Sancti, Tertia ſub titu-
lo Angeli Cuſtodis, Quarta S. Philippi, Quinta S. Ioſeph: quia
in Regno de Mexico in partibus Indiarum ſunt iam tres Con-
uentus, quos difficile eſt, incorporare prædictis noſtris Pro-
uincijs, conceditur illis licentia fundādi alios duos, quibus fun-
datis ex omnibus eis erigimus vnam Prouinciam ſub titulo S.
...rti, quæ in omnibus aliarum Prouinciarum regimen ſequi
t..eatur, & interim quod non fundentur dicti duo Conuentus,
Diffinitorium prouidebit eis Vicarium, qui reliquos tres re-
gat, & gubernet iuxta modum, & formam, & per tempus ſibi à
3 Diffinitorio aſsignatum. Et hic Vicarius non habeat vocem,
neq; locum in Capitulo generali, vel Diffinitorio, ſed ſingulis
annis teneatur viſitare dictos Conuentus, ſeruata forma Viſi-
tatorum Prouincialium. Viſitator autem de nouo electus viſi-
4 tet præcedentem Vicarium, & mittat ſcrutinium ad Diffinito-
rium, vt ab eo prouideatur. In præfata Prouincia de Mexico ad
5 obuiandum pluribus inconuenientibus non admittantur per
Conuentus officium mittendi Religioſos, & quædam officia,
(quæ vulgò nuncupantur doctrinæ) quibus ineſt animarū cu-
ra, ſeu quaſi ius parochiæ, ne vllo modo aliquis frater habitet
6 extra ſuum Conuentum. Neq; præter dictos duos Conuentus
fundentur alij ſine licentia Diffinitorij, neq; aliquis Religio-
ſus poſsit petere eleæmoſynam pro aliqua perſona abſq; licen-
7 tia Diffinitorij: Neq; extra ſuum diſtrictum Vicarius, & pro
8 tempore Prouincialis mittant aliquem fratrem, quæ omnia, &
ſingula ſeruentur ſub pœna rebellionis, & maiorum ſuorū of-
ficia vſurpantium. Si ſe obtulerit caſus aliquis vltra facultatē
9 Vicarij, cui celeri remedio prouidere oporteat, Vicarius in ſi-
mul

mul cum Priore. S. Sebaſtiani de Mexico, & cum Priore Beatæ
Mariæ de la Puebla de los Angeles, concurrentibus omnibus
tribus per vota ſecreta iuxta ordinarium modum votandi pro-
uidebit de remedio, quod magis illis videbitur expedire, &
ſtatim Vicarium generalem cum Diffinitorio certiorem red-
10 det, tàm de caſu, quam de remedio. Poterit ſimiliter dictus Vi-
carius cum dictis duobus Prioribus mittere aliquem fratrẽ ad
Diffinitoriũ in aliquo negotio graui, inquo neceſſariũ ſit: quod
ſi eiſdem aliquæ ordinationes videbuntur conuenientes parti-
11 bus illis mittent illas ad Diffinitorium, vbi determinabitur
12 quid oporteat facere. Triplex erit genus Domorum, vel Mo-
naſteriorum præter Monaſteria Monialium, vnum videlicet
Domorum, in quibus Nouitij, ſeu nouiter conuerſi inſtituãtur,
alterum Collegiorum pro ſtudentibus, alterum autẽ pro pro-
feſsis. In quibus omnibus etiam ſi quoad communem vitã vni-
uerſalis Ordinis ſanctiones ſeruandæ ſint, debent tamen quæd;
priuatæ ſingulis accomodari iuxtà diuerſitatẽ propoſiti ſpe-
cialis. In primo enim præcipuè de educatione ſpirituali: In ſe-
cundo de literarum ſtudio, in tertio vero de ſpirituali Mona-
chorum profectu, & animarum aliarum ſalute eſt habenda ra-
13 tio. Omnia loca clauſura honeſta muniantur antequàm opus
notabile inchoetur ſub pœna grauioris culpæ per viginti dies
infligenda tranſgreſſoribus, niſi forſan aliqua ſumma pecuniæ
14 pro aliqua determinata fabrica eſſet contributa. Item nullum
opus notabile inchoetur niſi de licentia Prioris Prouincialis.
Præcipimus autem diſtrictè, ne Domus noſtræ ſint ſumptuoſi
15 ædificij, ſed humiles, ſimiliter, & cellæ ſint nõ maiores, quàm
duodecim pedum per quadratum, neque minores quàm decẽ.
Collegia noſtræ Congregationis taliter fiant, quòd ſolum ſit
16 vnum inter ſex Conuentus, quibus licebit pro eorum ſuſten-
tatione annuos redditus, pia legata, & eleæmoſynas retinere, nõ
tamen, quòd iure hæreditario alicui Religioſo profeſſo ſucce-
17 dere poſsint. Item ſtatuimus, quod Conuentus fratrum non
poſsint habere redditꝰ annuales ex quauis cauſa, ſeu titulo, nec
etiã ratione Capellaniarũ, neq; pro docẽda Grãmatica, vel ali-
qua ſcientia, nec aliciuꝰ fratris hæreditatẽ iure hęreditario, vel
quo quomodo petere, ſeu acquirere: poterunt tamẽ legata pia,
quæ ex teſtamento ſibi fuerint facta, & alias quaſcunq; eleæ-
moſynas,

moſynas,quæ tamẽ omnia,ſi fuerint in bonis immobilibus, vel annuis cenſibus,& redditibus ſtatim vendantur,& eorum prę-tia ponantur,& conuertantur in vſus Conuentus, cui illa reli-
18 cta,vel data ſunt. Nulli tamen fratrum noſtræ Congregationis liceat teſtamentarium eſſe ſub pœna priuationis officij, & vo-
19 cis,& loci per duos annos. Item neq; Conuentus,neq; Colle-gium poſsint recipere aliquod onus perpetuum Miſſarum pro eleæmoſyna,quæ de præſenti detur,& conſumetur,alias quid-
20 quid actum fuerit,ſit nullum. In ſingulis Conuẽtibus, & Col-legijs noſtri ordinis nõſit minor numerus,quã quindecim per-ſonarum, neq; maior quadraginta, & intra dictum numerũ cõ-putentur Profeſsi,Choriſtæ,laici nuncupati Donati, & fratres Nouitij, quod obſeruetur in nouis fundationibus Conuentuũ
21 poſt duos annos à ſua fundatione. Quotieſcunq; in Vrbe fuerit aliquis Conuentus noſtræ Congregationis Diffinitorium ge-nerale prouidebit de Prælato illius Domus,qui gaudebit præ-eminentijs,& titulo Prioris. Erit tamen ad libitum dicti Diffi-nitorij amouibilis abſq; eo quòd teneatur reddere cauſam amo tionis,& idem erit circa Procuratorem generalem,& Supprio-
22 rem,& reliquos eiuſdem Conuentus. Quibus omnibus, & eo-rum ſingulis,nec nõ hoſpitibus,& alijs quomodolibet ad præ-fatam domum peruenientibus in virtute Spiritus Sancti, ſan-ctæ obedientiæ,& ſub præcepto mandamus quod abſq; licen-tia Diffinitorij nullus eorum audeat aliquod negotium agere per ſe, neq; per interpoſitam perſonam directè, vel indirectè, in detrimentum,aut etiam fauorem noſtræ Cõgregationis, aut alicuius Prouinciæ,Monaſterij, aut Collegij, aut alicuius per-ſonæ,tàm fratrum,quàm Monialiũ ſub pœna priuationis offi-cij,& vocis actiuæ,& paſsiuæ.

De officio Vicarij Generalis, & Diffinitorij. Cap. XIII.

1 CONgregatio noſtra,vt ſupra dictum eſt, gubernari debet per Vicarium generalem, & Diſſinitorium iuxta literas Apoſtolicas Sanctiſsimi Gregorij. xiiij. & omnia nego-tia expedienda ſunt,cum voto deciſiuo, tàm eiuſdem Vicarij,

2 quàm Diffinitorum. Ad Vicarium vero generalem pertinent proponere, & exequi omnia, quę in Diffinitorio fuerint ordinata ad reformationem ſtrictiorem, obſeruantiam, correctionē, & pœnam publicè, & cum ſcandalo delinquentium, & tandem aliarum omnium rerum, quę in Diffinitorio determinabuntur,
3 ſine cuius determinatione, & decreto nihil poterit exequi. Diffinitores ſint ſemper ſimul cum Vicario generali noſtræ Congregationis pro expeditione negotiorum illius in vno eodēq; Conuentu, quem elegerint, qui vocabitur Conuentus Diffini-
4 torij, & ſit in partibus Hiſpaniarum ſub protectione Summi
5 Pōtificis, & Maieſtatis Catholicæ. Vicarius generalis nō exeat à præfato Conuentu, niſi forte iturus ad Capitulum generaliſſimum, vel pro aliquo negotio, quod eius præſentiam exigat præciſè, quod prius in Diffinitorio tractetur, & concurrentib' quatuor ex ſex Diffinitoribus, poterit exire dummodo abſentia non ſit pro qualibet vice vltrà quindecim, aut ad ſummum viginti dies. Diffinitorium prouidebit circa negotia ordinaria, & etiam grauia, quando dilatio ad certiorem faciendum Vicarium generalem iudicio Diffinitorij eſſet nociua negotijs, & quando hoc non ſit, in grauibus expectabitur Vicarius generalis, aut literas ad eundem mittent, & tranſactis dictis viginti
6 diebus, nihil in Diffinitorio expedietur donec ipſe veniat. Si vero aliquod negotium longiorem Vicarij generalis abſentiam viginti dierūm petierit, propter ſui grauitatem, tunc Diffinitores comitentur Vicarium generalem, ſi ad hoc faciendū quin-
7 que vota in Diffinitorio concurrerint. Si autem oporteat exire aliquem ex Diffinitoribus prius proponatur, an ad negotiū ſit neceſſarium, & ad minus concurrant quatuor vota pro eo quòd exeat, & poſtea per ſchedulas eligetur in Diffinitorio, is, qui ex Patribus miſſurus ſit, & ſi tertia vice non concordauerint in electione canonica, qui tunc habuerit plura vota maneat electus. Quod ſi in illa tertia vice duo fuerint æquales, is cenſeatur, electus, qui in ordine officij præceſſerit. Hæc tamen fieri non poſsint, Vicario generali abſente, niſi abſentia ſit pro
8 Capitulo generaliſsimo. Per duos, vel tres dies arbitrio Vicarij generalis tàm ipſi, quā quilibet ex Diffinitoribus poterit exire. Sit hora certa, & determinata, inqua ad ſonum campanæ conueniant Vicarius generalis, & Diffinitores pro expeditione

negotio-

negotiorum. Quod ſi vnum, aut alterum contigerit abeſſe reli-
qui, dummodo ſint ad minus quinq; negotia determinabunt, &
quando tunc non concordabunt, eligant alios duos ad ea deci-
9 denda. Si autem longa abſentia, ſeu graui infirmitate ſit impe-
ditus, aut ob aliquam aliam cauſam venire non poterit, nec ita
breuiter, vt conuenit expectetur, eligi poterunt alius, vel alij
in locum eorum, qui deficiunt, & taliter electi ſupplebunt vi-
10 ces abſentium, donec veniant, & habebunt vltimum locū. Vbi
in Diffinitorio fuerint ſolum quinq; ex Diffinitoribus, nego-
tia determinentur adminus cum quatuor votis quemadmodū
11 ſi omnes ſeptem interfuiſſent. Vicarius generalis ad quē per-
tinet, vel illo abſente, is, qui præſidet, teneatur proponere om-
nia negotia Diffinitorio, & inibi ordinata modo etiam, tempo-
re, & forma ibi determinatis executioni mandare, & in manda-
12 tis ſubſcribat ipſe, & Secretarius, & ponatur ſigillum Diffini-
torij, quibus dabitur in tota Cōgregatione integra fides, & hu-
milis obedientia. Quod ſi in aliquo Vicarius generalis præfa-
13 ta omiſſerit, ſi fuerit quid graue iudicio quatuor Diffinitorum,
requiſitus ab illis cum omni reuerentia, & pace intra Diffini-
torium, quod illud proponat, aut exequatur, Vicarius genera-
lis, omnino ſtatim teneatur hoc facere, aliâs incurrat in pœnam
arbitrio Diffinitorum Capituli generalis proximè venturi, in
quo pro modo, & qualitate culpæ punietur, & interim ſint iñ
pace, & relinquatur negotium ad dictum Capitulum, & viſita-
14 tionem Vicarij in illo faciendam. Sit in Diffinitorio liber, in
quo ſcribantur, quę inibi fuerint determinata cum ſubſcriptio-
ne vocalium, qui fidem faciāt de ordinatione, & decreto ſuper
ſingulis negotijs, reſeruetur in arca trium clauium, quarū vna
detur Vicario generali, altera primo Diffinitori, tertia Secreta-
rio. In expeditione negotiorū, omnia, quæ in Diffinitorio tra-
15 ctabuntur, & literę miſsiuæ, quæ inibi legentur cū omnibus ad
Diffinitoriū pertinētibus valde ſecretè peragātur ſub pœna pri
uationis officiorū, & vocis actiuæ, & paſsiuæ per duos annos,
tàm quo ad Vicariū generalē, quā quoad Diffinitores, & Secre
tariū. Quod ſi res fuerit publica, ſeu publicāda dicatur, ꝙ, tali-
16 ter fuerit decretum per Diffinitorium. In re propria Conſan-
guinei, aut aliàs in omnibus cauſis, quibus de iure ita cauetur,
17 nullus ex Diffinitoribus, neque Vicarius generalis votum ha-

beat

beat, ſed ea reliqui Patres Diffinitorij definiant iuxta Conſti-
18 tutiones. Si Vicarius generalis abſit ex quauis cauſa, eius vices,
& authoritatem habet in omnibus primus Diffinitor electus
19 in Capitulo generali proximè prçterito, & ſucceſsiuè ſecũdus,
& ſic de alijs, qui ordo ſemper ſeruetur, & idem fiat quando
ob ægritudinem aſsiſtere non potuerit, & ſimiliter deferantur
negotia Congregationis ad Diffinitorium vt ibi determinẽtur,
20 ſecundum noſtras Conſtitutiones. Quod ſi iuxta negotiorum
exigentiam oporteat, quod Vicarius generalis ſubſtituat, vel
quod aliàs alicui vices ſuas cõcedat, is, vel illi, ſi plures fuerint,
eligantur in noſtro Diffinitorio, vbi determinetur quæ facul-
tas illis concedenda ſit, qui per omnia erunt ſubiecti Diffinito-
rio, etiam abſente Vicario generali ex illo: Poterit etiam Vi-
21 carius generalis, & Diffinitorium, quando iudicauerit expedi-
re, vices ſuas, ſiue in totum, aut in partem concedere Prouin-
ciæ, ſeu Prouincijs noſtræ Congregationis, quæ fuerint in par-
tibus remotis, ita quòd Prouincialis cum Diffinitoribus Capi-
tuli Prouincialis, vel maiori parte eorũ poſsit determinare ne-
gotia ſuæ Prouinciæ taliter ſibi commiſſa. Diffinitores etiam
22 pro notitia, quam habuerint Prouinciarum noſtræ Congrega-
tionis, earum interſe diuidant protectionem, ita quod vnuſ-
quiſq; ſolicitè Prouinciæ ſibi contingentis negotia protegat,
& expedire faciat, & quãdo Prouinciarum numerus excreue-
23 rit, poterit plurium protectio vni Diffinitori cõmitti. In Cõ-
uentu Diffinitorij Prioratus vacabit, & Vicarius generalis erit
Prior, & Prioris officiũ exercebit, & Diffinitores ſubditi ſint,
22 ſicut alij Conuentuales. In quo, & in quolibet alio vbi fuerit,
poterit per ſe ſolum cognoſcere, determinare, & exercere om-
nia ordinaria, & corrigere vſq; ad grauiorem culpam incluſi-
uè. Poterit etiam Vicarius generalis alloqui noſtræ Religio-
25 nis Moniales, eas ſalubriter honeſtis monitionibus incitans, &
prouocans ad regularis vitæ, & profeſsionis obſeruantiam. In
26 Conuentu Diffinitorij Vicarius generalis ad arbitrium ſuum
conſtituet Suppriorem, qui Conuentum, & Chorum guber-
nabit, aliaq; faciet, quæ reliqui Suppriores. Diffinitorium ex-
27 trà ea, quæ ad Capitulum generale pertinent, poteſt prouide-
re, & ordinare alia omnia negotia totius Congregationis, ac
cuiuſlibet Conuentus, ſeu Collegij, tàm fratrum, quàm Mo-

nialium

nialium ſeruata forma literarum Apoſtolicarum, & Conſtitu-
tionum,ſiue ad correctionem exceſſuum , ſiue ad expeditionẽ
28 recti regiminis pertineant. Et in ijs,in quibus non fuerit mẽtio
in noſtris Conſtitutionibus arbitrio ſuo iudicabunt, quòd Dei
obſequio,& Religionis beneficio magis expediet. Et quia par-
29 ticulariter cognitio, & correctio culpę grauiſsimæ tàm fratrũ,
quàm Monialium reſeruatur Diffinitorio per literas Apoſto-
licas,ſi Vicariꝰ generalis per ſe,vel Prouincialis Prior,aut Re-
ctor,ſiue alter quilibet Superior exceſſerit in facultate , quam
habent iuxta noſtras Cõſtitutiones incurrant in pœnam vſur-
30 pantium officia ſuorum Maiorum. Item Diffinitorium pro-
uidebit,quod quilibet Prouincialis ſaltim ſemel infrà trienniũ
ſuum viſitetur, cuius viſitatio legitimè facta deducatur ad Dif-
finitorium,vt prouideat,quod viderit expedire ſecundum Cõ-
31 ſtitutiones. Item ad Diffinitorium pertinet applicare Conuẽ-
tus vniꝰ Prouincię ad aliã,eoſq; de nouo diſtribuere prout ma-
32 gis videbitur expedire. Ad idem etiam ſpectat renunciationes
omnes admittere præter renunciationem Supprioratus,quę ad
Prouincialem illius Prouinciæ pertinent.

De officio Prioris Prouincialis.
Cap. XIIII.

1 PRior Prouincialis in ſua Prouincia poterit omnia facere,
2 quæ Priores locales in ſuis Conuentibus. Inſuper etiam
habeat authoritatem ad habitum, & profeſsionẽ iuxta no-
ſtras Conſtitutiones Nouitios admittendi , excommunicatos
pro manus violentæ iniectione in fratres Ordinis, & etiam pro
Apoſtaſia abſoluendi,& cum his , qui in Apoſtaſia celebraue-
rint ſuper irregularitate diſpenſandi , literas fraternitatis ſuæ
Prouinciæ concedendi,fratres intrà ſuũ diſtrictum de vno Cõ-
uentu ad alium tranſmutandi, Conuentualitateſq; aſsignandi.
3 Ad Prouincialem etiam ſpectat ſuam Prouinciã viſitare, quod
ſingulis annis faciat,& ſi in infirmitate,aut alia vrgenti neceſsi-
4 rate per ſe ipſum aliquem Conuentum non poſsit viſitare, aut
aliud negotium ſui officij peragere,poterit alicui Religioſo ſuę
Prouinciæ vices ſuas committere , eligere tamen Vicarium in

vniuerſa Prouincia pertineat ad Diſſinitorium Congregatio-
nis. Mortuo tamen Prouinciali (cuius obitum Prior, in cuius
5 diſtrictu obierit, ſtatim Diſſinitorio ſignificabit) præſideat in
Prouincia primus Diſſinitor illius Prouinciæ, & eo abſente ſe-
6 cundus, & ſic ſucceſsiuè. Prouincialis etiã eſt, Religioſos pro-
feſſos ad ſacros ordines promouere, nulli tamen hanc facultatẽ
concedat, niſi poſt annum integrum à die profeſsionis, & niſi
prius examinatus in ſcientia per Priorem, & per alium à Capi-
tulo Conuentuali electum à maiori parte Capituli per vota ſe-
creta in ſcientia, & moribus fuerit approbatus. Poterit Prouin-
7 cialis in Sociũ eligere quẽ maluerit, neq; in Conuentibus, nec
8 in Prouinciali Capitulo vocẽ habebit. Et quia doctrinã Chri-
ſtianam Populum docere obſequium eſt Deo gratiſsimũ, quili-
bet Prouincialis in Conuentu, aut Conuentibus ſuæ Prouin-
ciæ vbi expedire iudicauerit, quia nõſit alia Religio, quæ mu-
nus hoc exerceat, poterit ordinare faciendum. Quod ſi extra
Conuentum in Oppido hoc ſit faciendum deputetur ad hoc
aliquis Religioſus probatæ virtutis cum Socio, qui ſimul ſem-
per incedant, & via recta ad hoc ſacrum miniſteriũ intenti pro-
gredientur, & in Conuentum redeant. Quibus præcipimus in
virtute Spiritus Sancti, ſanctæ obediẽtiæ ſub præcepto, & ſub
pœna priuationis officij, & vocis actiuæ, & paſsiuæ per duos
annos, ne aliquam Domum ingrediantur, niſi fortè in ſumma
neceſsitate, Eccleſiam tantum, vel hoſpitalem, neq; aliud nego-
tium peragãt, exhortamurq; in Domino Prouinciales, vt in hoc
ſacro miniſterio, Deo, & ſanctę Eccleſiæ ſtudeant famulari.

De officio Prioris Conuentualis.
Cap. XV.

1 PRiores Conuentuales habeant ſubditos ſuos admonere, &
corrigere, & Regulam ordinis fratribus Clericis, & laicis
etiam Nouitijs per ſe, vel per alios exponere in Capitulo,
2 & in Refectorio ſextis ferijs ad minus legi facere, ita quod vbi
Feria ſexta præcedenti dimiſerit, incipiat in ſequenti, vt ab om-
3 nibus intelligatur. Conſtitutionum vero vnum caput legatur
in prandio quotidiè, & ſuper omnia ad obſeruandam, tam Re-
gulam

gulam,quàm Conſtitutiones ſe,& alios efficaciter coarctēt.Ha-
beant etiam Priores locales curam cuſtodiæ portarum Conuē-
tus,&Conuētuales ſuos,quoties eis viſum fuerit,viſitare,Cho-
rum,Refectorium, Capitulum,regulariter ſequi, & tenere cō-
puta de receptis,& expenſis, à recipientibus, & exponentibus
4 recipere,& audire præſentibus tribus cuſtodibus per Conuen-
tum electis,& alijs volentibus intereſſe,de bonis communibus
per aſſenſum prædictorum cuſtodum ordinare , quos ſi in ali-
quo agendorum diſſentire contigerit,ad maiorem,& ſaniorem
partem Conuentus recurratur, & ſecundum eorum dictū om-
nia diſponantur. Quod ſi non fecerint,& negligentes fuerint,à
Superioribus grauiter puniantur ſecundum exigentiam deli-
5 cti. Item ordinamus,quòd quilibet Prior nouiter electus,poſt
quam oſtenderit literas ſui Prioratus,antequā vtatur in aliquo
officio ſuo videat inuentaria Conuentus ſui Prædeceſſoris , &
ſecundum illa recipiat bona omnia ipſius Cōuentus in pręſen-
tia cuſtodum, aut ſanioris partis Conuentus ſub pœna ſuſpen-
6 ſionis ab officio , & cum poſtea expirabit de omnibus bonis
Conuentus,ſecundum inuentaria ſui introitus habeat reddere
rationē cuſtodibus,& ſucceſſori ſuo,ſi fuerit præſens,aut Prę-
ſidenti Conuentus tempore ſui receſſus ſub pœna ſuſpecti de
7 fraude Proprietarij. Et ſi Prior nouiter inſtitutus non reperiet
inuentaria prædeceſſorum faciat inuentaria noua coràm tribus
Clauarijs ſupradictis , & ponantur in arca communi ſub pœna
8 ſuſpenſionis ab officijs. Item ordinamus, quòd quilibet Prior
localis poſsit ſubſtituere Vicarium Sacerdotem pro ſui abſen-
tia in Conuentu, non obſtante quòd ſit ibi Supprior , per ele-
ctionem,vel alius,niſi quando iturus eſt ad Capitulū Prouin-
ciale,quia tunc ſi Supprior manet,eſt Vicarius,& ſi eligatur in
9 Socium,alius frater eligatur in Vicarium. Conſtituat Prior in
ſuo Conuentu Procuratorem,Sacriſtam, & Hoſtiariū, & alios
officiales domus ex his quos ad talia munera aptiores iudica-
uerit,eoſq; pro libito poterit deponere. Procurationem autem
10 pro ſæcularibus nulli Religioſo iniungat. Inhibemus etiam in
virtute Spiritus Sancti,ſanctæ obedientiæ, ſub præcepto , ne
aliquis Prior,aut Religioſus quæſtionem incipiant ſine aſſenſu
11 ſui Prouincialis ſub pœna grauioris culpæ. Et ſub eodem præ-
cepto mandamus,ne aliquis frater ſit iudex cōſeruator in qua-

cunq;

cunq; cauſa, niſi ex mandato Summi Pontificis aliter ordinetur. Item nullus Prior ære alieno aggrauet domum, etiam oc-
12 caſione ædificandi præterquam centum ducatis propter aliquã
13 iuſtam cauſam. Nec ornamentis multum prætioſis vtantur etiã ad ſacra peragenda, ſed omnia redoleant humilitatem, & pau-
14 pertatem ſub pœna grauioris culpæ per decem dies. Item nullus Prior, aut frater res notabiles communitatis etiam conſentiente Conuentu poſsit alicui donare, aut quouis modo alienare abſq; cõſenſu ſui Prouincialis ſub pœna abſolutionis ab of-
15 ficio, & grauioris culpæ per quadraginta dies. Item mãdamus Prioribus, & Præſidentibus ne permittant ſæculares habitare in noſtris Conuentibus, nec delinquẽtes, qui ad eos ſe recipiũt,
16 vltra tres dies, ſub pœna grauioris culpæ per decẽ dies. Si contingat autem, quod Prior moriatur, ſtatim eius obitus per Suppriorem, aut Præſidentẽ Vicario generali, & Diffinitorio ſignificetur, vt de electione Prioris prouideatur.

De officio Supprioris.
Cap. XVI.

1 SVpprior in abſentia Prioris regat, & corrigat, & alia exequatur, quæ ad regimen Conuentus pertinere dignoſcuntur. Suppriores debent frequenter fratres admonere, quòd ordinatè ſe habeãt in Choro, & extra, & inclinationes faciãt reuerenter ad diuinum officium tractim, & deuotè, & ſpecioſè celebrari, & cœremonias ordinarij diligenter obſeruari procurent. Miniſtroſq; Chori, & Altaris ac etiam pro alijs obſequijs Conuentus omni ſabbatho in tabula officiorũ deſcriptos aſsi-
2 gnabunt. Quando contigerit Priorem, aut Vicarium, & Suppriorem dom⁹ abſentari, habens primam vocem habeat authoritatem Vicarij, niſi Prior aliter ordinauerit. Qui per abſentiã Prioris domui præfuerit, nihil innouet ſub pœna priuationis
3 vocis actiuę, & paſsiuæ. Quando Prior, aut qui ob eius ab Oppido abſentiam pręſidet domo exierit, qui tunc præerit nõ po-
4 terit exire, neq; alteri Religioſo licentiam exeundi concedere, niſi tantùm Procuratori, aut Prædicatori ad concionandum egreſſuro. Quod ſi aliquis caſus vrgens fratris exitum poſtulauerit

lauerit, tunc de conſilio, & aſſenſu trium antiquiorum bonus huiuſmodi licentia concedatur.

De officio Sacriſtæ. Cap. XVII.

1 SAcriſta res Eccleſiaſticas mundè, & honeſtè cuſtodiat, & de conſilio Prioris ordinet, & diſponat de rebus Eccleſiæ parandis, & reparãdis, libris, veſtibus, calicibus, & alijs neceſſarijs pro Sacriſtia. Videat diligenter, ne intra Eccleſiam aliqua indecentia fiant, & quod bona hora, & debita portæ Ec-
2 cleſiæ manè, & veſperi, & de die, ſi ſit decens ſecundum diuerſa loca claudantur. Caueat autẽ precipuè, ne cum aliqua muliere loquatur, niſi ad interrogata reſpondeat; & hoc breuiter ſic tamen vt charitatiuè, & cum modeſtia prouideat petitioni iuſtæ. Quòd ſi oppoſitum faciat à Superiori pœna grauis culpæ per duos dies puniatur, quòd etiam volumus ab Hoſtiario obſeruari.

De officio Trium Clauariorum. Cap. XVIII.

1 IN quolibet Conuentu eligãtur tres fratres Cuſtodes, & Clauarij, & Prior, aut Præſidens in Conuentu, & dicti fratres pariter cuſtodiant, & recipienda recipiant, exponenda exponant, & mutuanda mutuent, & ſoluenda ſoluant, & alia faciãt cum Priore, quæ ad regimen Conuentus, & cuſtodiam bonorũ
2 communium dignoſcuntur pertinere. Nullus autẽ frater poſſit eligi in Clauarium, ſeu Cuſtodem, niſi ſciat computare; vel computa intelligere, & niſi poſsit computis intereſſe, & ſi aliter factum fuerit, mandamus Prioribus quatenus tales deponant, & ad electionem aliorum procedant. Inhibemus ſub pœ-
3 na Proprietariorum inſligenda, ne Prior, aut aliquis Clauarius aliquid communitatis recipiat intra ſepta loci, niſi duo cuſtodes coniungantur cum eo, vel Prior aut Supprior, aſſociato ſibi altero eorundem, & ſi nullus Cuſtodum tunc haberi poterit, accipiat alterum fratrem de Conuentu fide dignum. Quòd

ſi oppoſitum fecerit, niſi hoc intra biduũ Cuſtodibus, vel Cõuentui manifeſtauerit, vel niſi aliquibus fratribus de Conuẽtu id quod receptum eſt notum fecerit, ſubiacebit pœnæ ſupradictæ. Nec aliquid notabile ordinet Prior perſe, vel expendat,
4 aut alienet de ſupradictis ſub pœna præfata. Item prohibem⁹, ne Prior ponat bona Conuentus in loco abſcondito in Conuẽtu, vel extrà ſine ſcitu duorum Cuſtodum, vel aliorum duorũ
5 bonorum fratrum Conuentus, ſi periculum immineat. Itẽ prohibemus Priori facere quitantias ſub ſigillo officij ſui, niſi in præſentia ad minus vnius Cuſtodis, & alicuius alterius fratris, ſub pœna Proprietariorum, declarantes, quòd preter expoſita,
6 vel exponenda, & recepta, vel recipienda computa, Prior cum ſolis Clauarijs non determinet de rebus arduis Conuentus, ſed admittantur Patres, vel ſanior pars Conuentus.

De Cuſtodia communi bonorum. Cap. XIX.

1 IN quolibet Conuentu ſit arca trium clauium, quarũ vnam teneat Prior, reliquas duo antiquiores Clauarij.
2 In hac arca ſit liber in quo in præſentia Prioris, & dictorum fratrum ſcribantur ſummæ receptorum, & expenſarũ Conuentus ſeptimanatim, & in eodem libro ſeorſum ſcribantur nomina librorum ad librariam pertinentium, & omnia ad
3 Sacriſtiam, expenſam, & alios vſus communes notabilia. Item mandamus omnibus Prioribus localibus, & Cuſtodibus ſub pœna depoſitionis ab officijs, quòd quolibet menſe cõputent de receptis, & expenſis Conuentus. Similiter, & Prouincialis, aut eius Vicarius, & Procurator generalis in præſentia Capituli generalis noſtræ Congregationis de receptis, & expenſis
4 pro illius negotijs exequendis reddant rationem. Statuimus, quòd nullus Prior, etiam conſentiente toto Conuentu, aut etiã Prouinciali, librum, vel libros qualiſcunq; Conuentus det, aut vendat, aut quouis quæſito colore alienet, aut etiam impignoret ſub pœna priuationis officij, imò potius, vt libri conſeruẽtur, & multiplicentur ſemper procuret. Poterunt tamen libri Conuentus accommodari Religioſis, & perſonis honeſtis in

casu

caſu neceſsitatis, habita tamen firma cautione quòd nõ poſsĩt ammitti. Si tamẽ aliqui ſint libri duplicati, aut vſui fratrũ inutiles, vendi poterunt, prętium tamen venditorũ in alios libros conuertantur, vel cum alijs libris vtilioribus debeant commu-
5 tari. Nullus Superior, aut frater extrahat librum ab vno Conuentu ad alium ſub pœna grauis culpę per octo dies, ſub eadẽq; pœna Prælatus Conuentus, ad quem defertur ſtatim remittat Conuentui, à quo fuit extractus.

Tertia Pars de Defectuoſis, & pœnis infligendis.

De Proprietarijs. Cap. I.

1 QVoniam ex diſpoſitione Concilij Tridentini. Seſſ. xxv. de reformatione ſancitum eſt, quid agendum ſit ad votum paupertatis ſeruandum his verbis. Nemini igitur Regularium tàm virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuſcunq; qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita tanquàm propria, ac etiam nomine Cõuentus poſsidere, vel tenere, ſed etiam ea Supriori tradantur, Conuentuiq; incorporentur. Nec deinceps licet Superiorib⁹ bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vſum fratrũ, vel adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeu Conuentuum, ad ſolos officiales eorundem ad nutum Superiorũ amouibiles pertineat. Mobilium verò vſum ità Superiores permittant, vt eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſsi ſunt, conueniat, nihilq; ſuperfluum in ea ſit, nihil etiam quod ſit neceſſarium eis denegetur. Quod ſi quis aliter quicquam tenere depræhenſus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua voce, & paſsiua priuatus ſit, atq; etiam iuxta ſuæ Regulæ, & Ordinis Conſtitutiones puniatur. Ordinamus, & mandamus, vt ſupradictum decretum Concilij exactè, & cum omni diligentia ſeruetur: Præcipientes, vt quæcunq; ſcripturæ, quæ de aliquibus bonis temporalibus fieri contigerit, fiant nomine Conuentus, & non alicuius

fratris, & quod omnia, quæ fratribus quacunq; via obuenerint,
3 ſiuè ratione lectionum, ſiuè ſermonum, ſiuè confeſsionum, ſiuè
Miſſarum, aut quocunq; alio modo, totum hoc in communem
arcã, quæ triũ clauiũ dicitur; mittatur, & inde in vſum cõmunẽ
ipſius Conuentus conuertantur. Quare prohibemus, eſſe ali-
4 quam arcam, aut depoſitum, vbi fratres pecuniam, aut alia bo-
na deponant ſibi particulariter reddenda, ſed omnia ad cõmu-
nem vſum Conuentus pertineant. Quare ſub nota, & pœna
5 Proprietarij prohibemus ne aliquis ſiue Prior, ſiuè quicunque
alius in cella ſua, aut alibi ſibi aliud particulariter reſeruet, etiã
de comeſtilibus, aut quacunq; alia re minima, ſed tãtùm vtatur
6 his, quæ ad communem vſum fuerint deſtinata. Quod, vt me-
lius ſeruari poſsit ordinamus, & mandamus omnibus Superio-
ribus domorum, ne aliquis eorum ſubditis ſuis quicquam de-
neget, ſiue ex his, quæ ad cibum, aut potum, aut ad veſtitum,
aut libros, aut medicinas, aut aliud quodcũq; neceſſarium ſpe-
ctat, ſed de his omnibus illis prouideat ſecundum paupertatẽ,
7 & poſsibilitatem domus. Vnde præcipimus, vt in quacunq;
domo ſint officinæ communes librorum, veſtium, infirmorũ,
& hoſpitum, quibus deputentur, ſeu proprij officiales; & in his
officinis omnia prouideantur fratribus ſecundum eorum ne-
8 ceſsitatem ad nutũ Prælati. Si quis de vitio proprietatis con-
uictus fuerit, actiua, & paſsiua voce priuatus ſit, iuxta diſpoſi-
tionem Concilij, & inſuper per duos menſes carceri mancipe-
tur, in qua pœna nullus poſsit diſpenſare. Item in noſtra Con-
9 gregatione nullus Religioſus poſsit habere arcam, nec clauem
ad cellulam, nec aliquid quod claudatur cum claue, præterquã
Vicarius generalis Congregationis, Diffinitores, Prouinciales,
Secretarius Diffinitorij, & Procuratores generales Curiæ Ro-
manæ, & Regiæ, pro ſeruandis tantùm literis; & inſtrumentis,
10 & alijs huiuſmodi pertinentibus ad ſua officia: Nec aliquis au-
deat alterius accipere, vel retinere codices exceptorios abſq;
licentia Superioris ſub pœna pro prima vice grauis culpæ per
tres dies, pro ſecunda verò priuationis vocis, & loci per annũ
integrum. Prior tamen Conuentus ad obſeruanda inſtrumẽta,
11 ſeu literas ſui officij tantùm poſsit habere intrà arcam trium
clauium, aliam paruulam capſulam ab arca trium clauium
nunquam remouendam, niſi Viſitatori, vel Superiori poſcen-

ti

ti in aliqua occurrentia præſentandam, cuius clauem Prior retinebit.

De Apoſtatis. Cap. II.

1 QVicunq; contra pręceptum ſpecialiter directum ſui Superioris cōtumaciter etiam cum habitu, & Socijs, & ſine ſcandalo die, aut nocte extrà Conuentum, aut ſepta loci exierit, licèt redierit eadē die, vel nocte, vt Apoſtata pu-
2 niatur. Item quicunq; ſine ſui Superioris licētia de nocte exierit ſepta loci, vt Apoſtata puniatur, & vt excommunicatus ab omnibus euitādus eſt, donec pœnitentiam ſuam compleuerit. Et idem volumus de duobus, aut pluribus fratribus, ſi de nocte exiuerint ſepta loci, licèt eadem nocte reuerſi fuerint ad Conuentum. Nolentes quod aliquis Conuentum exeat quocunq; tempore ſine Superioris licentia ſpeciali ſub pœna ad arbitriū
3 Præſidentis infligenda. Poterit tamen Vicarius generalis cum Diffinitorio ad miſericordiam Ordinis recipere Apoſtatā, aut fugitiuum noſtræ Congregationis præmiſſa punitione iuxtà qualitatem delicti. Ad hoc, vt quantum poſſibile ſit, Religio-
4 ſorum Apoſtaſię euitentur, & eorum exitus à Cōuentibus abſq; licentia, ordinamus, quòd pro prima vice Apoſtata, vel fugitiuus puniatur iuxtà ſupradicta, pro ſecunda vice amittat antiquitatem Ordinis, quæ deinceps à die nouæ receptionis computetur, pro tertia vice recipiatur tanquàm Nouitius, nec gaudeat aliqua antiquitate, neq; ſibi computetur, niſi poſt annum integrum ab illo die, quo redit ad Religionem, quarta verò vice delinquens tāquam manifeſtè incorrigibilis expellatur iux-
5 tà Breue, fe. re. Pij. V. Quando autē de nouo huiuſmodi Apoſtatæ recipiendi ſint per omnia ſeruentur literæ. fe. re. Sixti. V. principaliter in eo. quòd antequam iſti Apoſtatæ admittātur, fiat ſufficiens informatio de moribus, ſtatu, & qualitatibus eorum, dū fuerint in Apoſtaſia iuxtà Breue. fe. re. Pij. V. Si Apoſtata fugitiuus prima vice fuerit per ſex menſes continuos in Apoſtaſia, & fuga, amittat antiquitatem Ordinis, prout dicitur de ſecunda Apoſtaſia, ſi verò fuerit per annum, vt Nouiti⁹
6 recipiatur eodem modo, àc ſi ter apoſtatauerit. Quod ſi vltrà annum

annum perſeuerauerit in peccato, expellatur ab Ordine. Semel autem expulſus, ſi Vicario generali, & Diffinitorio ob vitæ mutationem viſum fuerit, quòd de nouo recipiatur, admittatur vt Nouitius, & habeat probationis annum, quòd ſi in ea defe-
7 cerit ſimiliter eidem ac Nouitio habitus auferatur. Declaramus fratres, & Moniales Congregationis, non poſſe ad alium Ordinem tranſire ſine nota Apoſtaſiæ ſecundum tenorem indulti Apoſtolici in Bulla diuiſionis huius Prouinciæ Gregorij. xiij. cuius verba ſunt hæc. Ne autem inſtituta dictæ Prouinciæ relaxentur, fratribus, & Monialibus Diſcalceatis prædictis dictã primitiuam Regulam profeſsis, vel ad ſuorum fratrum mitigatorum, vel alium ordinem, præterquam Chartuſianorum ſine Apoſtaſiæ nota tranſire poſsint;

De Conſpiratoribus, & colligationem facientibus. Cap. III.

1 IN virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, & ſub præcepto mandamus, quòd nulli fratres iuramento, aut fide præſtita colligationem, aut confæderationem faciant, quòd ſibi mutuò non deficient in ſuis defenſionibus, ſuſtentationibus, vel alijs huiuſmodi, quæ notam mali, & conſpirationis ſapiunt, & oſtendunt, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ſi contra huiuſmodi mandatum venerint.

De Minantibus, percutientibus, & arma tenentibus. Cap. IIII.

1 SI quis minatur animo irato ad percutiendum, etiam ſi non percuſſerit, pœnę grauioris culpæ tribus diebus ſubiaceat. Si verò lapidem, vel baculum, aut quæcunq; arma, ſeu inſtrumenta leuauerit ad percutiendum licęt nõ percuſſerit prędicta pœna ei duplicetur. Si autem contra Priorem, vel Sup-
2 priorem prædicta arma, vel alia leuauerit, quadraginta dies eãdem pœnam ſuſtineat. Si autem cõtra Priorem generalem, Vicarium generalem, Diffinitores, vel contra alios miſſos ab eis,

vel

vel Prouincialem, vel Vicarium Prouincialem, vel contra Prę-
ſidentem Conuentus arma, vel alia dicta ad percutiendum le-
2 uauerit, carceri mancipetur. Siquis malitioſe aliquem fratrem
percuſſerit, ipſo facto eſt excommunicatus, neq; poterit abſol-
ui per quencunq;, niſi per Vicarium generalem, vel Prouincia-
lem ſuum, vel per eum, qui ſuper hoc ipſi poteſtatem commiſ-
ſerint, & pœnam grauioris culpæ per viginti dies ſuſtinebit. Si
3 autem quemcunq; fratrem aliquis enormiter læſerit, abſoluē-
dus eſt à Domino Papa, & carceri mancipetur in eodem per-
manſurus quouſq́; per Capitulum generale noſtræ Congrega-
tionis ſibi miſericordia concedatur, penſatis qualitate, & quan-
titate delictorum, & illicitæ læſionis. Volumus etiam quòd ſe-
4 cundum qualitatem, & quãtitatem exceſſuum tàm iſtæ pœnę,
quàm aliæ taxatæ Conſtitutionibus aggrauentur, penſatis gra-
du, & dignitate patientis iniuriam. Item ſtatuimus, quòd fra-
5 tres noſtri arma non habeant, neq; teneant, neq; portent; ſed
neq; cuſtodiant, neq; haberi, portari, aut cuſtodiri ab alijs fa-
ciant ad ſuos proprios vſus intra Conuentum, vel extrà, aut in
Capitulis, aut Congregationibus quibuſcunq́;, vel in vijs ſub
pœna priuationis vocis, & loci.

De Contumacibus, & officia Maiorum vſurpantibus. Cap. V.

1 STatuimus, & præcipimus, vt omnes fratres ſuis Supe-
rioribus vbiq;, & ſemper reuerentiam exhibeant, & eis
obediant, & qui ſpeciali mandato à ſuo Superiore ſibi
facto ſingulariter, vel ſibi, & alijs pluraliter non obedierit, ſiue
in contrarium iuerit, pœna rebellium (quæ ſtatim declarabi-
2 tur) puniatur. Et quicunq; in huiuſmodi præceptis in præſen-
tia ſui Superioris non obedierit, aut inobedientiã ſuam defen-
derit, ipſum inobedientem, contumacem, & rebellē iudicamus,
& carceri mancipandum quandiu Vicario generali, & Diffini-
torio videbitur expedire. Et idem iudicamus fieri, & manda-
3 mus de omnibus manifeſtè inobedientibus, & rebellibus. In-
iungentes omnibus fratribus per obedientiam ſalutarem, quòd
Prælatis ſint in adiutorium contra inobedientes, contumaces,
& rebelles

& rebelles ad eos capiendum, ligandum, & incarcerandũ, quãdocunq; eis iniungetur per eoſdem, quod ſi non fecerint voce,
4 & loco ſint priuati eo ipſo. Item ſtatuimus, quòd omnes, qui contra Ordinis Superiores ſe erexerint, eorum officium vſurpantes, ſeu impedire conantes, aut per ſe, vel per alios impedientes, ne ſuum officium exercere valeant cum effectu, alios Prælatos, aut Principes, aut Rectores excitantes, vt Superiores Ordinis per prædictos moleſtentur, grauentur, aut damnificentur in perſona, vel à ſuis officijs expellantur, aut abſoluantur, vel huiuſmodi ſe erigentibus conſilium, auxilium præbentes, & fauorem, ſi talia, vel ſimilia contra dictos Vicarium generalem, Diffinitores, Prouinciales, ſeu Vicarios, ſeu contra bonum cõmune Congregationis attentare præſumpſerint, voce, & loco careant, & ipſo facto carceri mancipentur, & omni officio ipſo facto ſint priuati, & ſecundum qualitatem, & quantitatẽ exceſſuum in carcere diutius teneantur, vt huiuſmodi pœna cedat in exemplum, & formidinem alijs, & ab exceſsibus temerarijs compeſcantur.

De diffamantibus conuitioſis.
Cap. VI.

1 CAueant omninò fratres diffamare ſuos Superiores. Sed ſi aliquis aduerſus Priorem ſuum, aut alium Superiorẽ non malitioſè, ſed in veritate habuerit quicquam, quod omninò non deberet tolerari, primo inter ſe, & ipſum ſolum eũ de ſua correctione admoneat aliquoties, quam admonitionem ſi neglexerit, aut contempſerit aliquem de ſenioribus fratribus ad eum monendum, corrigendumq; adducat, vel ad hoc per ſe ipſum faciendum inducat. Et ſi adhuc non ſe correxerit Superiori Prælato (ſi habet) ſcribat, aut ſi ad viſitandũ venerit, tunc ei veritatem inſinuet, & declaret, vt ſic per eum corrigatur, vel in Capitulo generali noſtræ Congregationis finaliter corrigẽdus demandetur quoad fieri poterit, etiam dicta monitione nõ præmiſſa, vbi probabiliter creditur monitionem, aut correctionem fruſtraneam eſſe, dum tamen illud ſufficiẽter probari poterit, & monſtrari. Neque alio modo præſumat de ſuis Prælatis

tis alloqui ſub carceris pœna penſata iniuriæ qualitate,& quātitate,& ponderato gradu Prælationis. Si quis aliquem fratrē
2 diffamauerit in re notabili, aut iniurijs, & ex probationibus affecerit; puniatur grauiter ſecundum menſuram delicti ad arbitrium Prælati, & nihilominus diffamans teneatur famam reſtituere. Item ordinamus, quòd ſi quis habuerit locum accuſandi coram ſuo Prælato aliquem,& non accuſauerit, & poſtea malitiosè per literas,aut alio modo diffamauerit de criminoſis, & notabilibus, vel de aliquibus alijs, locum, & vocem perdat eo ipſo. Et ſi qualitas diffamationis,ſcandali, periculi ſubſecuti,hoc exigat,penſatis gradu,& conditione diffamati, diffamās carceri mancipetur. Statuimus, quòd ſi aliquis alicui fratri ob-
3 iecerit,de quo aliàs pœnitentiam egerit,& correctus fuerit,de-
4 cem diebus pœna grauis culpæ puniatur. Item quicunq; frater aliquem Conuentum, aut totum Ordinē ratione defenſionis ſuæ; aut ex quacunq; alia cauſa apud quoſcunq; extraneos diffamauerit,eo ipſo, voce,& loco ſit priuatus, & non poſsit ei reſtitui niſi per Capitulum generale noſtræ Congregationis.
5 Item ſtatuimus, quod ſiquis in grauibus infamationibus, vel purgatione ſui,vel alterius,ſiuè alijs quibuſcunq; notabilibus cauſis falſum teſtimonium contra aliquem, vel aliquos dixiſſe conuincatur, ſuam faciat pœnitentiam in terra comedendo coram toto Conuētu per tot dies, quot Superiori videbitur expedire, ſedendo ſuper terram indutus aliquo ſcapulari ſuper quo duodecim linguæ, aut circiter ante, & retrò de panno rubeo,vel albo conſutæ ſint hinc inde modo vario in ſignū,quòd propter malum magnum ſuæ linguæ vitium illo modo ſit punitus; & poſtea carceri mancipetur,neq; amplius ad aliquod teſtimonium admittatur.

De lapſis in peccatum carnis.
Cap. *V*II.

1 QVia in huiuſmodi delictis, & peccatis delinquens procurat omne ſecretū, & raro plena probatio fieri poteſt, oporteq; malis in principio obſtare, ne in dies augeantur, præcipimus, quibuſcunq; Prælatis,& Præſidentibus, quòd

ſtatim quòd aliquem iudicauerint de mala familiaritate ſuſpe-
ctum, medicinaliter illius ſaluti conſulentes, denegent illi,
quæ aliàs liberaliter cæteris Religioſis concedi ſolent, vt potè
ordinum ſuſceptio, licentia ſtudendi, legere, prædicare, confeſ-
ſiones audire, & ſcribere, & ad exeundum à Conuentu licen-
tias concedere, & eundem in alium deſtinent Conuentum, nec
in aliquo officio confirmetur. Quę tamen omnia pro modo &
qualitate applicanda ſunt, donec quaſi certa emendationis in-
ditia aliter ſuaſerint, oneramuſq; conſcientias Prouincialium,
& Priorum, quòd de his, quos vehementer ſuſpectos inuene-
rint, & de cauſis huiuſmodi ſuſpicionis reddant Diffinitorio
generali notitiam. In ſuper etiam taliter ſuſpectus moneatur à
2 ſuo Prælato charitatiuè, vt ab illa familiriatate deſiſtat, quòd
ſi non ſe emendauerit, coram tribus, aut quatuor de ſenioribus
domus ponat illi Prælatus præceptum in ſcriptis, mandans ei,
ne aut loquatur, aut ſcribat perſe, vel alium illi mulieri, & ſi
oppoſitum feciſſe conuictus fuerit, habeatur pro conuicto de
ipſo crimine principali, & vt talis puniatur. Quando Religioſi
3 extrà Conuentum exierint, ſemper in ſimul duo aſſociētur, nec
alter ab altero ſeparetur, ita tamen, vt vnus ab altero poſsit vi-
deri, & ſi quis ex illis in alio viderit aliquid contra Conſtitu-
tiones, vel quod minus deceat habitum ſuę profeſsionis in ma-
teria caſtitatis, ſi hoc fuerit totaliter occultum, & illius emen-
datio ſperatur, corrigat illum ſtatim, & ſi non fuerit auſus, vel
non credat ſe profuturum, aut aliquod damnum Religioni, aut
bono nomini illius inde venturum meritò timeat, aut poſt fa-
ctam correctionem in eandem illum viderit reincidere culpā,
Prælato Conuentus, aut Prouinciali, aut Vicario generali, vt
Patri denuntiet, vel ſi qualitas culpæ hoc poſtulauerit tanquā
iudici, vt ſecundum Conſtitutiones, de ſalubri remedio proui-
4 deatur. Si autem culpa fuerit contra bonum commune Reli-
gionis, & illi multum nociua ſtatim deferat Superiori, ne pro-
pterea notabile damnum Congregationis ſequatur. Quæ om-
nia præcipiuntur Religioſis in virtute Spiritus Sancti, ſanctæ
obedientiæ, & ſub præcepto, & ſocius, qui omiſſerit prout di-
citur corrigere peccantē, incurrat in pœnā delinquentis, quia
5 non corrigendo celat delictum. Statuimus, quòd ſi quis in pec-
catum carnis lapſus fuerit, & confeſſus, vel conuictus, aut vio-
lenter

lenter ſuſpectus per dimidium annum carceri mancipetur, &
cum hoc locum, & vocem amittat. Si autem notorium fuerit
extraneis per annum integrum carceris pœna puniatur, & lo-
cum,& vocem amittat quinq; annis,niſi propter laudabilē eius
conuerſationem per Vicarium generalem,& Diffinitoriū poſt
tres annos fuerit cum eo diſpenſatum. Si autem ſecunda vice
de hoc peccato fuerit conuictus,pœna ei duplicetur,pro tertia
verò,vt manifeſtè incorrigibilis expellatur à Congregatione,
6 quod idem iudicamus,de eo,qui hoc peccatum commiſſerit,&
propter illud ſucceſſerit ſcandalum publicum ; & notabile in-
ter ſœculares, quia hæc publicatio, & ſcandalum ſunt ſigna a-
liorum peccatorum ſimilium occultorum,& vehementer prę-
ſumitur,quod eſt incorregibilis in eis,huiuſmodi ergò crimine
iuſtè , & conſideratè à Diffinitorio examinato expellatur ab
ordine iuxtà Breue.fe.re.Pij.V. vt ſatisfiat ſcandalo Reipubli-
cæ,& notabili damno exinde noſtrę Congregationi prouenien-
7 ti. Si quis autem in peccatum indicibile (quod abſit) lapſus
fuerit conuictus,vel confeſſus,aut violenter ſuſpectus ſecundū
diſpoſitionem iuris communis ; talis introducatur in carcerem
ibi tempore perpetuo miſerabiliter affligendus.

De pœna in communi.
Cap. VIII.

1 QVia Conſtitutiones noſtri ordinis neminem ex ſe intē-
dūt obligare ad culpam,ſed ad pœnas ſcriptas,quę quia
non poſſunt legibus contineri , ſtatuimus , quod ſiquis
conuictus fuerit de culpa notabili, pro cuius punitione in Cō-
ſtitutionibus,nulla ſpecialis pœna imponitur, tunc Præſidens
in Capitulo coaſſumptis duobus, aut tribus de diſcretioribus
fratribus eiuſdem Capituli , quos duxerit aſſumendos proui-
deat de præſenti remedio talis culpæ, & ſtatim Vicario gene-
rali,& Diffinitorio ſcribatur ſub pœna grauioris culpę per de-
2 cem dies. Item cum in Conſtitutionibus noſtris frequēter po-
natur pœna depoſitionis ab officio ipſo facto propter multa
pericula,quę poſsent indè contingere. Declaramus, quod intel-
ligitur ipſo facto, poſtquàm in Capitulo fuerint conuicti,con-

3 feſsi coram Superiore,& per ſententiam condemnati. Priuat'
voce in Capitulo Conuentuali,ſi fuerit,dicat poſt laicos cul-
pas ſuas,& antequàm ad culpas aliorum procedatur exeat, &
recedat de Capitulo. Vbicunq; autem aliquis dicitur priuari
4 voce actiua, eo ipſo, intelligatur eſſe priuatus voce actiua,
5 & paſsiua: Itaq; neque eligere, neque eligi poteſt. Cul-
pæ autem, ob quas Vicarius generalis debet officio priuari
ſunt ſequentes. Si fuerit incorrigibilis expellatur,ſicut expel-
litur ſecundum Conſtitutiones quilibet frater quando eſt in-
corrigibilis. Si in aliquod peccatum notorium, & intolerabile
in aliquo trium votorum inciderit. Item ſi omninò fuerit offi-
cio inutilis. Si conſpirauerit aduerſus Congregationem animos
Religioſorum inquietos reddendo,& ſolicitando,ſi contra no-
ſtra priuilegia Apoſtolica contraierit, vel aliquod Breue Apo-
ſtolicum contra præſentem modum gubernandi, vt vnus Vica-
rius generalis cum ſex Diffinitoribus voto deciſiuo gubernet,
impetrauerit, ſeu quocunq; medio, ſeu quouis quæſito colore
tali Breui fuerit vſus abſq; eo, quòd per Diffinitorium intel-
ligatur,&recurratur ad Sãctiſsimũ.P. vt quod magis expedierit
ipſe prouideat. Item quando perſe ſolus quatuor, aut quinq;
vicibus negotia grauia, quæ pertinent ad Diffinitorium totum
Congregationis abſq; Diffinitoribus determinauerit, & exe-
cutioni demandauerit, & huiuſmodi ordinata, & ſic determi-
nata ſint nulla. Item quando pro illis,quæ pertinent ad officiũ
ſuum pecuniam,ſeu aliquid aliud notabile prętio ęſtimandum
6 acceperit. Pro his omnibus,& ſingulis tàm Vicarius generalis,
quàm Diffinitores,& alij Prælati penſatis qualitate, & graui-
tate delicti priuatione officij, & alia maiori pœna ſecundum
Conſtitutiones Congregationis plectendi ſunt.

De Sententia excommunicationis.

§. I.

1 EXcommunicationis pœna raro,& non niſi graui, & vrgen-
te neceſsitate pronuncietur,maximè tamen latæ ſententię,
quæ, tamẽ nulla erit,niſi verbaliter, & explicitè, & in ſcri-
ptis pœna excommunicationis,& excommunicatio latę ſentẽ-
2 tiæ exprimatur. Omnis autem excommunicatus maiori ex-

communica-

communicatione non ingrediatur Eccleſiam, Capitulum, vel alia loca commũnia, quinimò quandiu ſic extiterit ab omnibus euitetur.

De pœna leuis culpæ.

§. II.

LEuis culpa eſt, vt ſiquis malè legendo, vel cantando offen-
1 dens non ſtatim coram omnibus ſe humiliauerit proſtra-
tus ad terram in ſignum commiſsionis culpæ, & quod de-
2 fecerit, aut ſi veſtes ſacras, aut libros Eccleſiaſticos malè tracta-
uerit, & pro his, & alijs ſimilibus in Capitulo veniam petenti-
3 bus iniungantur à Præſidente vnus Pſalmus, vel oratio aliqua
ſpecialis, ſicut placuerit.

De pœna mediæ culpæ.

§. III.

1 MEdia culpa eſt; ſi quis in diuinis officijs in Oratorio exi-
2 ſtens in ordinatè ſe habuerit. Si quis mentis oſtẽderit le-
3 uitatem in viſu, vel geſtu. Si quis aliud cantare, vel legere
præſumpſerit, quàm communis vſus Eccleſiæ approbat, ſiue
4 tenet. Si quis turpem ſermonem, vel vaniloquium in vſum ha-
5 buerit. Si quis in officio deputato negligens repertus fuerit.
6 Si quis mandatum, ad quod totus Conuentus tenetur ſcienter
7 dimiſſerit. Siquis etiam genuflexiones, & inclinationes ſuas in
Choro, Capitulo, ſicut cæteri facere conſueuerint, neglexerit.
8 Siquis aliquem ſcienter, vel alterum ſœcularem, vel regulare,
ad cellam ſuam, vel alterius ſine licentia vocare præſumpſerit.
9 De ſupradictis, & ſimilibus veniam petentibus fiat in Capitulo
correctio vnius diſciplinæ cum tot Pſalmis, quot Præſidenti
placuerit.

De pœna grauis culpæ. §. IIII.

GRauis culpa eſt, ſi quis in præſentia ſœcularium inhone-
1 ſtè cum aliquo contenderit, & ſi frater intus, vel foris lites
habuerit.

2 habuerit. Si quis pro aliquo commiſſo à fratre ſuo indulgentiã
3 petet,& ipſe à quo petitur veniam negauerit. Siquis indumẽ-
ta, vel aliqua alia alteri fratri data, vel conceſſa ſine licentia ac-
4 ceperit. Siquis ſilentium in locis prohibitis non tenere in con-
5 ſuetudinem duxerit. Siquis culpam ſuã, vel alterius extrà iu-
6 dicium defenderit. Siquis in aliquibus verbis malitioſis, vel in-
7 ordinatis depræhenſus fuerit. Si quis nimium, vt in loquendo
8 fieri ſolet, leuiter iurare cõſueuerit. Siquis ieiunia Ordinis cõ-
9 ſueta ſine licentia fregerit. Siquis cellam ſuam ſine licentia ſui
10 Prioris mutauerit, aut lecti ſternia cum alio permutauerit. Si
11 quis ſine euidẽti neceſsitate dedic cellã alteriꝰ intrauerit. Siquis
12 inordinata locutione cum mulieribus reprehenſibilis extite-
13 rit, vnde mala ſuſpitio oriri poterit. Pro his culpis, & ſimili-
bus petentibus veniam, & non accuſatis duæ diſciplinæ den-
tur in Capitulo,& per duos dies in aqua, & pane ieiunent, ac-
cuſatis verò vna dies, & vna diſciplina ſuperaddatur. Fratres
14 autem in ieiunio panis,& aquæ, deputati per pœnitentiã die-
bus ſibi aſsignatis coram Conuentu ſuper terram ſedentes pa-
nem ſuum comedant, neq; audeant ſuas pœnitentias abſq; li-
centia Prioris retardare. Quod ſi fecerint, pœna grauis in gra-
uiorem conuertatur.

De pœna grauioris culpæ.

§. V.

1 Grauior culpa eſt, ſi quis ebrius aliquando, etiam ſola vice
deprehenſus fuerit. Siquis præceptum Superioris omiſ-
ſerit. Siquis inuentus fuerit ad chartas, vel taxilla luſiſſe
2 cum ſcandalo ſœculariũ, qui talis ſcilicet luſor ad carcerẽ man-
3 cipetur per duos menſes, ſi autem ſine ſcandalo pœna grauio-
ris culpæ puniatur per decem dies. Si hæc, & alia grauia quis
4 perpetrauerit,& accuſatus negare nequiuerit, ſuam pœniten-
tiam faciat in hunc modum primò in Capitulo coram Pręſidẽ-
te denudatus condignam ſuis demeritis diſciplinam accipiat,
qua accepta ad cellam ſibi à Priore aſsignatam vadat in ea ma-
nens vſq; ad horam comedendi,& cum tẽpus comeſtionis ad-
uenerit, intret Refectorium, & ſedens in terra in medio cũ pa-

ne,

ne,& aqua ſuper pauimentum nudum humiliter veſcatur, niſi ei à Priore aliquid per miſericordiam impendatur. Qui poſtquàm comederit,facto ſigno per Præſidētem ad cellam redeat patienter,& nullus audeat illi ſe coniungere, vel ei loqui, vel ille alteri,neq; ei aliquid mandare ſine Superioris licentia ſpeciali, vt cognoſcat ſe ire ſequeſtratum à conſortio aliorum,quo priuabitur,niſi per pœnitentiam redeat ad conſortium Angelorum,Prior tamen ne in deſperationem labi poſsit,quando ſibi videbitur expedire,mittat ad eum fratres diſcretos, & deuotos,qui ipſum moneant, & confortent ad ſuam pœnitentiā faciendam humiliter,& deuotè, & talis quandiu fuerit in pœnitentia non communicet, neq; veniat ad oſculum pacis, neq; Eccleſiam ingrediatur,& nulla ſibi committatur obediētia ante ſatisfactionem plenariam huiuſmodi pœnitentiæ ſibi iniunctæ,& inflictæ, neq; interſit alicui electioni, neq; licitis actibꝰ cuiuſcunq; Capituli,ſed ſi electionem aliquam, ipſo exiſtente in pœnitentia neceſſariò fieri oporteat, aut electio differatur vſq; ad pœnitentiam completam,aut ipſe frater à dicta pœnitentia releuetur,vt interſit electioni, & electione facta ad pœnitentiam redeat;& cuiuſcunq; officij ſit, vel ordinis, durante
6 ſua pœnitentia,eis nō fungatur. Illi autem,per quorum exceſ-
7 ſus prædictos,& alios citra grauiſsimam culpam Religio noſtra in ſœculo notabiliter ſcandalizata fuerit,vel qui occaſionē notabilis ſcandali dederint, pœnam prædictam totaliter ſuſtinebunt,& ad omnes horas,vel gratias, ante portam, vel hoſtiū Refectorij fratribus intrantibus,& exeūtibus proſtrati iaceāt.

De grauiſsima culpa.

§. VI.

1 GRauiſsima culpa eſt,incorrigibilitas illius,qui culpam nō timet committere,& pœnitentiam recuſat facere. Talis per Diffinitorium Congregationis carceri mancipetur, & ieiunia, aut aliæ pœnitentiæ illi iniungantur ſecundū grauitatem culparum,& facto proceſſu cum legitima informatione aduerſus eum proferatur ſententia expulſionis à noſtra Congregatione (ſi tamen vſq; ad illam

gri ſenſus extiterit) & exuatur habitu Religioſo, & detur illi
habitus ſœcularis. Hæc autem omnia fiant ità vt appareāt au-
thenticè geſta cum proceſſu, & ſententia, & ſubſcriptione te-
ſtium; & dentur illi literæ dimiſſoriæ teſtimoniales, & proceſ-
ſus maneat in fida cuſtodia in Conuentu. Quæ omnia fiant ſi-
nè interuentu ſœcularium, niſi fortè aliquado omninò ſit ne-
2 ceſſarius horum interuentus. Declaramus autem, quod ſi ali-
quis frater propter mortale peccatum ſit per legitimam ſentē-
tiam damnatus ad pœnam grauioris culpæ, & ipſe recuſet eam
pœnam ferre, habeatur pro incorrigibili, & expellatur à noſtra
3 Cōgregatione. Itē declaram⁹, quod ſi aliqui fuerint, qui iudicio
dicti Diffinitorij nō poſsint in cōmuni ſine graui ſcandalo, aut
periculo tolerari in carcerē mittantur, & ibi ſecūdum exigentiā
culparū puniantur, prout ſupradictis videbitur. Si autē per ne-
4 gligentiam, aut malitiam Cuſtodis carceris, vel alterius fratris
aliquis incarceratus fugerit, ille, pro cuius malitia, aut negligē-
tia fugerit, cuiuſcunq; gradus, aut præſidentię fuerit incarcere-
tur loco fugientis, quouſq; per illum, per quem poterat fu-
giens liberari, liberetur. Si quis incarcerato limam, vel martel-
5 lum, aut quodcunq; aliud inſtrumentum tradiderit, vel tradi
procurauerit ad infringenda, vel ſoluenda vincula quocunque
modo, ſeu talia inſtrumenta præſtiterit euadendi, licèt nō eua-
ſerit, pœnam carceris ſuſtineat per viginti dies. Si verò euaſe-
rit, carceri mancipetur ſine ſpe gratiæ quandiu ille, qui dedit
6 auxilium vt euaderet, debuit remanere. Item ordinamus, quòd
nullus frater cuiuſcunq; conditionis, aut gradus exiſtat, ingre-
diatur ad incarceratos cauſa viſitationis, aut miniſtrationis, aut
quouis alio modo ſinè licentia Superioris ſpeciali ſub pœna
carceris tàm ingredienti, quàm Cuſtodi permittenti infligen-
7 da. Mandamus etiam, quòd in quolibet Conuentu cōſtruatur
8 carcer. Quòd ſi Prior fuerit in conſtruendo carcere negligens
rèpertus, de executione ſui officij ſuſpendatur, ſubincēdo pœ-
næ grauis culpæ quouſq; carcerem procurauerit conſtrui. Itē
9 circa pœnas ſupradictas ſtatuimus, quòd fratribus aſſuetis leui
culpæ, pœna leuis culpæ mutetur in mediam, & aſſuetis medię,
illa mutetur in grauem, & aſſuetis graui, illa mutetur in grauio-
rem, & aſſuetis grauiori, & non ferentibus pro illis pœniten-
tiam, illa mutetur in grauiſsimam, & ſic ſemper aggrauantibus
culpas

culpas aggrauetur pœna, donec tales emendentur, vel expellā-
tur, ſi expedire videbitur. Quicunq; verò pœnitentiam ſibi in-
10 iunctam humiliter adimpleuerit, poterit veritate rei cognita ei
relaxatio fieri à Diffinitorio partis pœnæ maioris, vel minoris
ſecundum virtutem, quam oſtenderit. Quod ſi proteruus fue-
11 rit in acceptanda ſententia, vel pœnitentiam nō adimpleuerit,
tali gratia, & remiſsione carebit. Ordinamus, vt nulli Religio-
ſorum dictæ Congregationis appellatio, aut ſupplicatio à ſen-
tentia, aut pœna iuxta Conſtitutiones Congregationis eidem
impoſita à Diffinitorio, vel ab alijs Superioribus eidem cōce-
datur. Non enim decet Diſcalceatos appellationes admit-
tere. Dat. Romæ apud Sanctum Petrū ſub Annu-
lo Piſcatoris Die decimanona Februarij. M. D.
LXXXXII. Pontificatus noſtri
Anno Primo.

M. Veſtrius Barbianus. M. Antonius à Va-
lle. locus ſigilli.

ERRATAS.

Donde dize aut, diga &. fol. 7. pag. 2. lin. 5. Donde dize grauioris, diga grauis. fol. 8. pag. 2. lin. 2. Dōde dize c&ul citrarum, diga & culcitratum. fol. 9. pag. 1. lin. 8. Donde dize ordinis receptionē, ſe añada procreatū. fo. 10. pa. 2. lin. 26. Donde dize Procuratore, diga Protectore. fol. 11. pag. 2. lin. 4. Donde dize videatur diga videantur. fol. 13. pagin. 2. lin. 6. Dō de dize cotninebunt, diga continebunt. fol. 13. pagin. 2. lin. 17. Donde dize Superior, diga Supprior. fol. 14. pag. 1. lin. 7. Donde dize carceri, diga cæteri. fol. 14. pag. 2. lin. 22. Dōde dize humiliate, diga humilitate. fol. 15. pag. 1. lin. 29. Donde dize flxis diga flexis. fol. 15. pag. 2. linea. 23. Donde dize & Conſtitu-

culpa aggravetur pœna, donec talis emendetur, vel expella-
tur, ſi ex pœnis videbitur. Quicunq; vero pœnitentiam ſibi in-
iunctam ſeu aliter adimpleverit, poterit veritate rei cognita ei 12
relaxatio fieri a Diffinitorio partis pœnæ maioris, vel minoris
ſecundum virtutem, quam oſtenderit. Quod ſi quis reus fui-
rit in acceptandis ſententia vel præcedentia ab aliquo [illegible] 13
[illegible] gratia, & remiſſione carebit. Ordinamus, ut nullo ſub [illegible]-
ſorum dictæ Congregationis appellatio, aut ſupplicatio a ſen-
tentia, aut pœna iuxta Conſtitutiones Congregationis eidem
impoſita a Diffinitorio, vel ab alijs Superioribus eidem conce-
datur. Non enim debet Diſſiciatores appellationes admit-
tere. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annu-
lo Piſcatoris. Die [illegible] Februarij. M. D.
LXXXII. Pontificatus [illegible]
Anno [illegible]

M. Veſtrius Barbianus. M. Antonius de Va-
lle. locus ſigilli.

ERRATAS.

Donde dize [illegible] diga [illegible] fol. 7. pag. 2. lin. 3. Donde dize gravatum, diga gravius fol. 8. pag. 2. lin. 2. Donde dize re&[illegible] [illegible] diga [illegible] fol. 9. pag. 1. lin. 2. Donde dize [illegible] receptione, le añadi [illegible] fol. 10. pag. 2. lin. 26. Donde dize Procuratore, diga Protectore fol. 11. pag. 2. lin. [illegible] Donde dize videtur diga videantur fol. 13. pag. 2. lin. 6. Donde dize continebitur, diga continebunt fol. 13. pag. 2. lin. 17. Donde dize Superior, diga Superiores fol. 14. pag. 1. lin. 7. Donde dize [illegible] diga [illegible] fol. 14. pag. 2. lin. 2. Donde dize [illegible] diga [illegible] fol. 15. pag. 1. lin. 20. Donde dize [illegible] diga [illegible] fol. [illegible] pag. 2. lin. [illegible]. Donde dize & Conſtitu-[illegible] le añadi de [illegible] fol. 16. pag. 1. lin. 8. Donde dize [illegible] diga [illegible] fol. 17. pag. 1. lin. 15. Donde dize negotijs, diga negotijs [illegible] pag. 1. lin. 20. Donde dize quartum, diga quintum fol. 18. pag. 2. lin. 4. Donde dize [illegible] diga cū fol. 18. pag. 1. lin. 20. Donde dize [illegible], le añadi & Diffinitorum fol. [illegible] pag. 2. lin. [illegible]. Donde dize probationem, diga probationum fol. 22. pag. 2. lin. 17. Donde dize aliud, diga aliquid fol. 23. pag. 2. lin. 10. Donde dize vel, diga [illegible] fol. 24. pag. 2. lin. 1.

Tabula titulorum Capitulorum.

I. Pars. Cap. I.

DE Officio diuino, & cantu. Cap. 1 §. 1. fol. 1.
De Oratione mentali & examine conſcientiæ. §. 1. fol. 3.
De Silentio, & loquutione. §. 3. fol. 3
De Confeſſionibus, & prædicationis munere. §. 4. fol. 4.
De Communione fratrum. §. 5. fol. 5.
De Ieiunio, & correctione fratrum. Cap. 2. fol. 5.
De Recreatione fratrum. §. 1. fol. 6.
De Fratribus infirmis, & vita communi, & æquali ab omnibus obſeruanda. Cap. 3. fol. 6
De Vita communi & æquali. §. 1. fol. 7.
De Habitu, & clauſura Religioſorũ obſeruanda. Cap. 4. fol. 8.
De Donatis recipiendis. §. 1. fol. 8.
De Clauſura. §. 2 fol. 9.
De Eleemoſynis petendis, & de miſſarum accipiendo numero. Cap. 5 fol. 9.
De Receptione Nouitiorum. Cap. 6. fol. 10.
De Fratribus decedentibus, & eorum ſuffragijs. Cap. 7. fo. 11.
De Labore ſtatuto Clericorum, & Laicorum, ac inſtructione Nouitiorum. Cap. 8. fol. 11.
De Inſtructione Nouitiorum. §. 1. fol. 12.
De Studijs, & ſtudentibus. Cap. 9. fol. 12.
De Litteris, & Sigillis. Cap. 10. fol. 13.
De Ordine, & loco. Cap. 11. fol. 14.
De Hoſpitibus, & itinerantibus. Cap. 12. fol. 14.

II. Pars.

DE Obedientia Priori generali, Vicario, & Diffinitorio præſtanda.

Tabula titulorum Capitulorum.

I. Pars. Cap. I.

¶ DE Officio diuino, & cantu. Cap. 1. §. 1. fol. 1.
- De Oratione mentali, & examine conſcientiæ. §. 2. fol. 3.
- De Silentio, & loquutione. §. 3. fol. 3
- De Confeſsionibus, & prædicationis munere. §. 4. fol. 4.
- De Comunione fratrum. §. 5. fol. 5.
¶ De Ieiunio, & comeſtione fratrum. Cap. 2. fol. 5.
- De Recreatione fratrum. §. 2. fol. 6.
¶ De Fratribus in firmis, & vita communi, & æquali ab omnibus obſeruanda. Cap. 3. fol. 6
- De Vita communi, & æquali. §. 2. fol. 7.
¶ De Habitu, & clauſura Religioſorũ obſeruanda. Cap. 4. fol. 8.
- De Donatis recipiendis. §. 1. fol. 8.
- De Clauſura. §. 2. fol. 9.
¶ De Eleæmoſynis petendis, & de miſſarum accipiendo numero. Cap. 5. fol. 9.
¶ De Receptione Nouitiorum. Cap. 6. fol. 10.
¶ De Fratribus decedentibus, & eorum ſuffragijs. Cap. 7. fo. 11.
¶ De Labore fratrum Clericorum, & Laicorum, ac inſtructione Nouitiorum. Cap. 8. fol. 11.
- De Inſtructione Nouitiorum. §. 1. fol. 12.
¶ De Studijs, & ſtudentibus. Cap. 9. fol. 12.
¶ De Literis, & Sigillis. Cap. 10. fol. 13.
¶ De Ordine, & loco. Cap. 11. fol. 13.
¶ De Hoſpitibus, & itinerantibus. Cap. 12. fol. 14.

II. Pars.

¶ DE Obedientia Priori generali, Vicario, & Diffinitorio præſtanda. Cap. 1. fol. 15.
¶ De Receptione Prælatorum. Cap. 2. fol. 15
¶ De Modo, & forma viſitandi. Cap. 3. fol. 15.
¶ De Modo ſeruando in viſitatione, confeſsione, & loquutione Monialium. Cap. 4. fol. 16.
¶ De Capitulo generali noſtræ Congregationis. Cap. 5. fol. 17.
¶ De Forma celebrandi Capitulum generale. Cap. 6. fol. 18.

De

TABVLA.

¶ De Conſtitutionibus. Cap.7.fol.19.
¶ De Electionibus. Cap.8.fol.20.
¶ De Capitulo Prouinciali. Cap.9.fol,23.
¶ De Capitulo Conuentuali. Cap.10.fol.25.
¶ De Accuſatione,denunciatione,&inquiſitione.Cap.11.fol.26.
¶ De Fũdatione Prouinciarum,& Monaſteriorum, & pauperta-
te in ipſis ſeruanda. Cap.12.fol.27.
¶ De Officio Vicarij generalis,& Diffinitorij. Cap.13.fol.28.
¶ De Officio Prioris Prouincialis. Cap.14.fol.30
¶ De Officio Prioris Conuentualis. Cap.15.fol.30
¶ De Officio Supprioris. Cap.16.fol.31
¶ De Officio Sacriſtæ. Cap.17.fol.32
¶ De Officio trium Clauariorum. Cap.18.fol.32
¶ De Cuſtodia communi bonorum. Cap.19.fol.32

III. Pars.

¶ DE Proprietarijs. Cap.1.fol.33
¶ De Apoſtatis. Cap.2.fol.34
¶ De Cõſpiratorib⁹,& colligationẽ faciẽtib⁹. Cap.3.fol.34
¶ De Minantibus,percutiẽtibus,& arma tenẽtibus. Cap.4.fol.34
¶ De Cõtumacibus,& officia Maiorũ vſurpãtibus. Cap.5.fol.35
¶ De Diffamantibus conuitioſis. Cap 6.fol.35
¶ De Lapſis in peccatum carnis. Cap.7.fol.36
¶ De Pœna in communi. Cap.8.fol.37
- De Sententia excommunicationis. §.1.fol.38
- De Pœna leuis culpæ. §.2.fol.38
- De Pœna mediæ culpæ. §.3.fol.38
- De Pœna grauis culpæ. §.4.fol.38
- De Pœna grauioris culpæ. §.5.fol.38
De Grauiſſima culpa...

Digitized by Google

De Conſtitutionibus. Cap. 7 fol. 19.
De Electionibus. Cap. 8 fol. 20.
De Capitulo Prouinciali. Cap. 9. fol. 23.
De Capitulo Conuentuali. Cap. 10 fol. 25.
De Accuſatione, denunciatione, & inquiſitione. Cap. 11 fol. 26.
De Fundatione Prouinciarum, & Monaſteriorum, & paupertate in ipſis ſeruanda. Cap. 12 fol. 27
De Officio Vicarij generalis, & Diffinitorij. Cap. 13 fol. 28
De Officio Prioris Prouincialis. Cap. 14 fol. 30
De Officio Prioris Conuentualis. Cap. 15 fol. 30
De Officio Supprioris. Cap. 16. fol. 31
De Officio Sacriſtæ. Cap. 17 fol. 32
De Officio trium Clauariorum. Cap. 18 fol. 32
De Cuſtodia communi bonorum. Cap. 19. fol. 32

III. Pars.

De Proprietarijs. Cap. 1. fol. 33
De Apoſtatis. Cap. 2. fol. 34.
De Cõſpiratorib', & colligatione facietib'. Cap. 3. fol. 34
De Minantibus, percutientibus, & arma tenentibus. Cap. 4. fol. 34
De Cõtumacibus, & officia Maiorũ vſurpantibus. Cap. 5. fol. 35
De Diffamantibus conuitioſis. Cap. 6. fol. 35
De Lapſis in peccatum carnis. Cap. 7. fol. 36
De Pœna in communi. Cap. 8. fol. 37
- De Sententia excommunicationis. §. 1. fol. 38
- De Pœna leuis culpæ. §. 2. fol. 38
- De Pœna mediæ culpæ. §. 3. fol. 38
- De Pœna grauis culpæ. §. 4. fol. 38
- De Pœna grauioris culpæ. §. 5. fol. 38
- De Grauiſſima culpa. §. 6. fol. 39

FINIS.

L'IMPEGNO

ASO

NO

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE